Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Thomæ Goodwini Moses & Aaron Seu Civiles & Ecclesiastici Ritus Antiquorum Hebræorum

Godwin, Thomas

Bremæ, MDCCX

VD18 12442798

Liber I. De Personis.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18703

Visual Library

MOSES ET AARON.

LIBER. I.

DE

PERSONIS.

CAP. I.

De forma Reipublicæ Judaicæ, usque ad adventum Christi, & quando sceptrum de ea sublatum sit?

I. FOrma Regiminis mutationibus inter omnes populos obnoxia fuit; præprimis autem Judaica, quæ diversissimas facies induit: quarum sequentes nobiliores fuêre. Primo *Patres familias* cum *Primogenitis* omnem regiminis speciem administrabant, & tanquam ædium suarum Reges & Sacerdotes tum *Sacram* tum *Civilem rem* obibant. Ipsi, clavum domestici imperii tenentes, benedicere, maledicere, domo & hæreditate eliminare, imò capite plectere poterant: ut liquet ab exemplis *Noachi* adversus *Chamũ Gen.* IX. 25. *Abrahæ* adversus *Hagaram & Ismaëlem Gen.* XXI. 14. *Ja-*

cobi adversus *Simeonem* & *Levi Gen.* XLIX. 5. *Judæ* adversus *Thamaram*, *Gen.* XXXVIII. 24. Tempore *Mosis* hoc primogenituræ jus penitus elisum est. (1.)

II. Quemadmodum autem *Aaron* ipsiusque posteri jure & titulo sacerdotali gaudebant, ita *Moses*, & ab ejus morte *Josua*, totum populum specie quâdam monarchici statûs flexit: ille enim (2.) *Rex in Jeschurun* audiebat *Deut.* XXXIII. 5.

III.

(1.) Hoc primogenituræ jus insigne fuit A. dum rei sacræ primogeniti præerant. *Exod.* XXIV. 5. B. dum duplici hæreditatis paternæ portione gaudebant. *Deut.* XXI. 17. C. dum præ cæteris fratribus tanquam domini eminebant. Vid. plura in *Burmanni wet en Getuigenisse*, item *Mom. Tripl. œcon. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 4. §. 2. 3. & *tom.* 2. *cap.* 4. §. 262. Rectè autem ait autor, hoc jus Mosis tempore abrogatum esse, scil. cùm ipsi cum cæteris Israëlitis impuri declarati sunt & propter παραβάσεις *transgressiones* ab altari remoti, *Ezech.* XX. 26. substitutis Levitis. *Num.* III. 12. 41.

(2.) Is Rex non erat *Moses*, sed Christus, qui *venit* vs. 1. *cum myriadibus Sanctitatis*, Angelus Jehovæ, quique δι' ἀγγέλων legem tulit. *Hebr.* II. 2. *Act.* VII. 53. nam A. Moses tantum fuit minister fidelis in tota domo Dei. B. Nomen, Rex, est nomen gratiæ, quæ (comparativè) per Christum data est *Joh.* I. 17. C. Illud nomen Christo datur in prophetiis, quod futurus sit Rex. D. Unde & vox Jeschurun, quæ notat Israëlem, est hic nomen proprium factum ex 3. pers. plur. fut. שׁוּר *cernere*; & optimè alludit ad varias prophetias & typos, qui promiserunt Messiam in carne appariturum, ipsiusque gloriam ὡς μονογενοῦς ut unigeniti *Joh.* I. 14. 1. *Joh.* I. 1. contemplandam fore: ita Christus in Israële apparuit, qui ipsum incarnatum & Regem vidit.

Landesbibliothek Oldenburg

III. Secuti Josuam *Judices*, statim ab electione absolutâ & fere (†.) independenti potestate fruebantur, haud absimiles Regibus. Longissima autem interregna & intervalla, quæ plerumque intercessêre inter denatum substitutumque Judicem, rem Judæorum gravissimè affligebant, usque dum periculum in mora, armorumque metus ipsis Judicem extorqueret, licèt strepitu metuque sopito ad privatam rursus vitæ conditionem descensurum. Gideon enim excusso Midianitarum jugo, & restituto pristinæ libertati populo, cum ipsi summa rerum sceptrumque deferrentur; *non ego*, ait, *neque filius meus, dominabimur vobis. Jud.* VIII. 23. Extraordinarium erat, quod *Samuel Israëlem judicavit omnibus diebus vitæ suæ. 1. Sam.* VII. 15. *Zepper. lib. 3. leg. Mos. c. 6.* Hoc re-

(†.) Sicut præcedenti notâ dictum est, Mosen nec dici, nec fuisse Regem, propriè ita dictum, ita nullo modo asseri potest, Judices regiâ vel independenti potestate usos. Deus enim Rex populi sui & erat, & dici volebat. Statusque Israëlitarum erat merè Theocraticus. Hinc illi, quando Regem, pro more gentium, petunt, ut ab hoc consilia & auxilia responsa & placita rogent, adeoque ab hominis voluntate & ratione dependeant, ipsum Deum, ejusque regimen, & oraculum rejecisse dicuntur. 1. *Sam.* VIII. 7. *Vide dissertat. Cl. Witsii de Theocratia Israël.* Hæc ratio est, quare pseudoprophetæ sub ista Regiminis forma vitâ multandi erant, quoniam videlicet à Deo, vero & unico Populi Rege, ad alios Deos & Baales seu Dominos, abducere subditos conabantur, atque ita summum Majestatis læsæ crimen committebant. Cessat autem nunc ista pseudoprophetarum pœna externa, quia pompa ista externa cultusque ille visibilis Majestatis Divinæ cessat.

Landesbibliothek Oldenburg

ſpectu horum Judicum dignitas non abluſit ab autoritate *Dictatorum Romanorum.*

IV. Hæc moderaminis facies juxta computationem *Auguſtini de Civ. D. lib.* 18. *cap.* 22. poſt trecentos & viginti novem annos demum, inter Judæos collapſa eſt. (3) Ubi res alicujus momenti ſub interregnis eveniebant, deferebantur ad magnum conſeſſum LXX. virorum, h. e. *Synedrium*, cujus intuitu Regiminis forma videbatur *Ariſtocratica* eſſe.

V. Judices inſecuti rerumque potiti *Reges* Judæis jura dixerunt à *Saule* uſque ad captivitatem Babylonicam annis circiter quingentis & viginti. *Zepper. leg. Moſ. lib.* III. *cap.* VI. (4.)

VI.

(3) Apoſtolus Paulus recenſet *Act.* XIII. 20. 450. annos: quos quidam inchoant à nato Iſaaco, & tunc numerant annos 447. & per numerum rotundum 450. Sed hæc ſententia infirmatur à vſ. 18. ubi Paulus expreſsè annos pererrationis in deſerto diſtinguit ab his 450. annis. Incipiunt ergo illi anni ab ingreſſu in terræ Canaan hæreditatem, & finiuntur in abſolutione templi: oportet ergo adjungere 40. annos Saulis & Samuelis, 40. annos Davidis, 33. annos Salomonis, cum 7. annis extructionis templi, ad annos 357. Judicum, à Joſua videl. uſque ad Samuelem; hincque redundat numerus 477. & per rotunditatem 450. Demendi ergo ſunt anni 40. in deſerto. 1. *Reg.* VI. 1. 38. Non ergo video quomodo Auguſtinus ſuos annos 329. conſtruxerit. At, inquies, Paulus dicit; *dedit eis* 450. *annis* κριτάς, *judices uſque ad Samuelem.* Reſp. κριτάι non pertinent ad annos, quòd tot annis judices fuerint, ſed quòd durârint uſque ad Samuelem, & poſtmodum Reges imperârint, quorum tres ſuperioribus 450. annis annumerandi ſunt.

(4.) Numerum annorum Regum refert *Ezechiel* cap. IV. 5. ſcil. 390. adde 40. annos Saulis cum Samuele, 40. annos Davidis & 40. annos Salomonis, erunt 510. Ezechielis enim anni incipiunt à Rechabeamo.

VI. A captivitate Babylonica usque ad ἐπιδημίαν *adventum* Christi (qui apparuisse putatur anno quingentesimo trigesimo sexto (5.) vid. *Chronol. Funcii*) Respublica Judæorum multiformi mutationi subjacuit.

Interdum enim parebant *Legatis* & *Præsidibus*, qui non absoluto jure utebantur, sed à submissis Persarum Regum decretis mandatisque dependebant; hos appellabant רָאשֵׁי גָלוּת, ἀιχμαλωτάρχας, *Principes seu capita deportationis. Maim. in Jad. lib. vit. tract. Sanh. cap.* 4. §. 13. Talis erat Zorobabel & ipsius Successores, quos *Chronicon* Judæorum, *Seder olam minus*, dicit fuisse *Mesullamum*, *Hananiam*, *Berechiam* & *Hesadiam*. Hi omnes creduntur rem Judaicam administrâsse sub Monarchia Persica, & descendisse ex stirpe Davidis, uti & cæteri succedentes decem Gubernatores post Alexandr. Magnum, in quorum decimo subsidit gloria domûs Davidicæ, (6) sceptro translato

(5.) Sine dubio autor hos annos inchoat à captivitate Babylonica, vel potius à soluta captivitate. Sed certum est plures fluxisse annos ad Christum. LXX. annis in Babele fuerunt; non minus quam 490. anni decesserunt ab Edicto Cyri usque ad Christum; erunt ergo plusquam 560. anni; imò, quod plausibile est, inter edictum Cyri & natalem Christi intercedunt anni 537. His junge 70. annos exilii, erunt 607. usque ad Christum. Vid. *Cocc. Quæst. Jud. cap.* 52. §. 67.

(6.) In Jechoniah jam pessum iverat domus Davidis: sed erant adhuc ex ea domo נְשִׂיאִים, principes, sed postmodum ad abjectam conditionem depressa est, ut impleretur vaticinium Davidis, scil. Messiam venturum, quando domus ipsius non germinaret, 2. *Sam.* XXIII. 1-5.

Landesbibliothek Oldenburg

in gentem Maccabæorum, qui ortum debebant tribui Levi.

VII. *Maccabæi* vocitabantur *de Juda Maccabæo*, qui condecoravit vexillum suum his literis initialibus, M. C. B. A. I. quas decerpserat ex מִי־כָמֹכָה בָּאֵלִים יְהוָה, *Quis sicut tu inter Deos, sive fortissimos, Jehovah? Chron. Carion. lib. 1. p. 144.* (7.)

VIII. Hæc Maccabæorum plena & absoluta potestas viguit, usque dum Herodis Ascalonitæ (8.) regnum ingrueret, sub quo Salvator noster σὰρξ ἐγένετο *incarnatus est*, juxta vaticinium Jacobi *Gen.* XLIX. 10. *Non recedet Sceptrum à Juda, & Legislator, qui est ex eo, quod est inter pedes ejus, usque dum veniat Schilo* (h. e. *Messias*) *Targum Uziel*; Eadem penè verba recitat *Targum Hierosol.*

IX. Ad enucleandum hujus vaticinii sensum duo observanda veniunt, I. Tempus, quo Sceptrum

(7.) Huic sententiæ non possum subscribere. A. Quia plerumque nomen Maccabæus antiquis effertur per geminum c. quod in loc. *Exod.* XV. 11. non reperitur. B. Non est credibile tam generalem & latam sententiam fuisse intextam vexillo, quum ad id soleant seligi sententiæ tectæ & flexiles. C. Patet ex vetustis Hebræorum monumentis, Leonem vexillo Judæ Maccabæi impressum fuisse. D. Magis ergo videtur, juxta aliorum opinionem, huc collineare מַכָּה בִי, *per me est plaga*, scil. hostibus & Judæis defectoribus. Nam E. hoc etymon convenit Judæ Maccabæo, & ejus tempori, & כ duplicatur hic per dagesch.

(8.) Disquiritur inter doctos, utrum Herodes Ascalonita fuerit, an Idumæus; sed Idumæum fuisse facile evinci potest; nisi statuamus cum *Josepho lib. 5. cap. 3.* Askalon fuisse urbem Idumææ.

Landesbibliothek Oldenburg

ptrum Judæ conceſſum: & II. tempus, quo rurſus ereptum eſt.

X. Prius autem expendenda eſt differentia, quâ exponunt, duo iſta vocabula *Juda* & *Sceptrum*. A. Quidam capiunt vocem *Juda* pro *tribu ſola* Judæ, ut *Origen. Hom.* 17. *in Gen. Epiph. contra Ebionæos*, & maxima Hebræorum pars. Verùm S. Script. contrarium dicit, docendo, alias tribus quoque multos judices ſuffeciſſe Reip. & ipſos Maccabæos ex tribu Levi oriundos ad gubernacula ſediſſe. (9.) B. Alii nomen Judæ hîc volunt eſſe, *duas illas tribus*, quæ partibus Rehabeami ſtuduerunt, quæque poſt defectionem cæterarum tribuum ſimul nomine Judæorum venêre, quod factum non ſit prius, quàm decem tribus deſciverint. *Cunæus de Rep. Hebr. lib.* 1. *cap.* 9. *p.* 81. C. Alii ſumunt hîc Judam pro *toto corpore Iſraëlis*, *vel duodecim tribubus*, quas deinde omnes ſingularis Dei providentia nomine iſto Judæorum, de Juda accepto, inſigniverit; quod aſſerunt *Euſeb. demonſt. Evang. lib.* 8. *cap.* 1. *Montacut. in. Analect. p.* 72. *Caſaubonus contra Baron. p.* 10.

(9.) Autor hic putat quoſdam ἐναντίως S. Scripturæ ſtatuere, Judam hîc capi pro ſola tribu Judæ. Sed a. hic ſermo eſt de Sceptrum gerentibus Regibus, non de Judicibus, qui ex aliis tribubus orti erant, b. atqui plurimos Reges ſuppeditavit tribus Juda, ſive domus Davidica; c. tribus Juda ſemper claruit Legislatoribus, (qui hic junguntur ſceptro) ſede religionis, ſcholis, templo; d. Schilo ex ea tribu venit. Ergo hic res eſt de ſola tribu Judæ.

Landesbibliothek Oldenburg

XI. Quod ad vocabulum, (†*) *Sceptrum*. A. Quidam id interpretantur pro *Summa rerum & suprema Potestate*, quâ primariò unus fungebatur. Huic sententiæ manus dant Patrum plerique. B. Alii tuentur, istud vocabulum, Sceptrum, positum esse pro *forma Regiminis* & *Reipublicæ*, αὐτονομίᾳ propriisque legibus ac ritibus suffultæ; eoque nomine tàm depressiorum Magistratuum & Sacerdotum, quàm Principum Regumque autoritatem denotari. *Casaub. adv. Baron. p.* 19. 23. *Just. Mart. in dial. cum Tryph. Cunæus de Rep. Hebr. lib.* 1. *cap.* 9. *p.* 82.

XII. Ex his diversis vocum expositionibus gignuntur variæ & diversæ *interpretationes* prophetiæ Jacobi. (†) Quidam enim putant *Sceptrum* secundo

(†*) *Sceptrum* Σκῆπτρον, super quo quis σκήπτεται, recumbit, & innititur, Hebr. שֵׁבֶט est *Scipio*, aut baculus pastoralis, ein Hirten-Stab. Nam primi Reges fuêre pastores ovium. Hinc & Reges in sacris literis vocantur Pastores. Sceptra ergò primæva non erant aculeata nec acuta; postea verò, proficiente tyrannide, spiculis præfixa videntur; cujusmodi sceptrum Saul Σκηπτοῦχος gessit, & in Davidem vibrare gestivit. Primis Græcorum Regibus sceptrum erat, in cujus summitate Ciconia, infra Hippopotamus extabat, in signum cùm amoris tùm rigoris in suos.

(†) Variæ hæ sententiæ & interpretationes facilè conciliari possunt. Sano enim sensu Christus dici potest non venisse, quando adhuc vigebat Lex, sacerdotium, & templum. Multiplex enim est Christi adventus. Quemadmodum enim Spiritus S. venit, quando Christus *in carne*, seu in templo externo, videri cessavit; Sic Christus *in Spiritu* venit, sceptro, sacerdotio, totoque legum carna-

Landesbibliothek Oldenburg

do significatu sumptum concreditum esse *Judæ*, h. e. duabus tribubus, quæ favebant partibus Rehabeami in defectione populi; & hoc Sceptrum ipsius Judæ manui extortum non esse, usque ad desolationem Hierosolymorum, quoniam ab ipso Herodis tempore ad istam destructionem, Judæorum Leges, Sacerdotium, & Respublica etsi concussa fuerint, non tamen penitus corruerint. *Cunæus de Rep. Hebr. lib. 1. cap. 11. p. 96.*

XIII. Aliorum (†) sententia vult, *sceptrum* secundo sensu captum, *Judæ*, h. e. duodecim *tribubus* concessum esse tempore Mosis, illudque ipsis ablatum non esse, usque ad dirutionem Hierosolymæ, neque regnum Judæ defecisse in ipso Herode, utpote Judæo ascititio seu Proselyto: ajunt enim *Judæum* esse nomen *Religionis*, non *nationis*. *Scalig.* & ex eo *Casaub. adv. Baron. p. 19. & 39.*

XIV. Alii (†) opinantur *sceptrum* secundo sensu intellectum *Judæ* porrectum fuisse, h. e. duodecim *tribubus* tempore Mosis, sed ab Herode ablatum, sic tamen, ut eo imperium exercente, Judæ gloria languescere modò cœperit, solo verò æquatis Hierosolymis penitus emarcuerit. *Montacut. in Anal. pag. 74.*

XV. Alii (†) sustinent, *sceptro*, si primâ sumatur significatione, *Judam*, *h. e.* duodecim *tribus* potitas fuisse Mosis tempore, sed istud rursus

carnalium apparatu decedente. Aut quando Christus *cum toto Regno suo in nos ingreditur*, ut *Cocc. Esa.* 40. loquitur, sive ipsius Spiritu agimur, tùm liberi reddimur ab omni autoritate & legislatore, præterquàm quòd ἔννομοι χριστῷ, *sub lege Christi* maneamus. 1. *Cor.* IX. 19. 21.

Landesbibliothek Oldenburg

ipsarum manibus excussum, sæviente Herodis Imperio. *August. contr. Manich. lib.* 12. *cap.* 47. *Euseb. demonst. lib.* 8. *Chron. Car. p.* 143. Priores sententiæ tuentur Messiam anticipâsse suo adventu sceptri ablationem; posteriores sceptri ablationem constituunt signum & prodromum παρουσίας Messiæ.

XVI. Quod ipsum esse puto, quod à prophetia ista intenditur. (10.) Nam hæc opinio, quò latior patet, eò certioribus etiam firmioribusque talis stare posse videtur. Tum enim defecerat Sceptrum ad proselytum scil. Herodem, quod antea factum non erat; & tum etiam *ipse Legislator discesserat è medio pedum ejus*, quando Christus ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ *apparuit in carne. Galatin. lib.* 4. *cap.* 6. *p.* 203. *ex Talmud. Hieros.*

CAP.

(10.) Verum est, ablato jam sceptro de Juda Christus venit. Sed si verba stabunt, prout communiter excutiuntur; scil. non recedet virga à Juda, usque dum veneritSchilo, tum potius fluit inde; Christum debuisse præoccupare ablationem sceptri suo adventu. Sed aliorum expositio & textui & tempori concinna est, quæ statuit, copulam וְ positam esse pro גַּם, vel potius pro præpositione עִם cum, uti *Jud.* XVIII. 17. *Act.* XIV. 13. ταύρους καὶ στέμματα, h. e. *tauros cum coronis*. Expositio hæc non torquet textum: imò verò aliæ torquere videri possunt, quæ copulam hanc ita capiunt ac si repetitum fuisset וְלֹא. Sensus ergo hic erit: non recedetSceptrũ cumLegislatorib⁹; h.e. etsi recedatSceptrũ à Juda (uti etiam recessit in μετοικεσίᾳ Βαβυλῶνος *captivitateBabylonica*, & in ἀλλοφύλους translatum est) non tamen æq; Legislatores recedent: quod rursus factum, dum illi pædagogi usque ad adventum Christi & dirutionem templi jugo illo ἐντολῆς σαρκικῆς *præcepti carnalis* Israëlitas pressêre.

Landesbibliothek Oldenburg

CAP II.

De Publicanis.

I. POstquam delibavimus notatu dignissimas Hebrææ Reip. mutationes, accingemus nos ad descriptionem *Personarum*, quæ partes istius Reip. constituerunt; & primò quidem *Publicanorum*, qui ultimis diebus erant membra heterogenea istius Reipublicæ. Judææ itaque in Provinciam Romanam redactæ, adeoque censibus tributisque pressæ (quod Judæi ipsimet flagitârant à Pompejo sexaginta annis ante φανέρωσιν *apparitionem* Jesu Christi, teste *Joseph. lib. 1. de B. J. cap. 5. pag.* 720.) (1.) certi *Præsides* assignati erant à Pop. Rom. quibus adjuncti *Quæstores*, tam in Judæa quàm cæteris provinciis, colligendi tributi, quantum iis imperatum fuit, gessêre curam. Illi autem, quorum fuit colligere pecuniam Publicam, *Publicani* vocabantur, populis tributariis plerumque ob rigidas exactiones exosi.

II. Hi ergo (†) Publicani in cunctis provinciis in

(1.) Bis ergo petierunt subesse Romanis, semel cum intestinum bellum fratrum Aristobuli & Hyrcani Judæam laceraret, tum enim Pompejum adsciverunt, qui vi istam flammam comprimeret. Deinde tempore Christi, Archelaï tyrannidem ægrè ferentes, ab Augusto petierunt, ne amplius permitterentur imperio suorum Regum; sed ut essent sub Syriæ Præsidibus, & Syriæ Provinciæ contribuerentur. Sic Damascus caput Judææ facta est. *Esa.* VII.

(†) Quùm certissima Scripturam benè, & juxta mentem Spiritus S. interpretandi regula sit, ut personas pristinas (taceo integras nationes) quæ in sacris literis occurrunt, in suo quisque seculo quærat, tum patet, uti etiam-

in ſuas *Societates* fuerunt diſtributi, quibus rurſus Magiſtri præerant; quo ſenſu Zachæus dicitur fuiſſe ἀρχιτελώνης *Princeps Publicanorum Luc.* XIX. 2. Harum Societatum frequens mentio injecta apud *Cicer. in Orat. pro Sex. Roſc. Murena, Cn. Plancio &c. Quæſtores Provinciales* parebant inſuper ſummo cuidam *Præfecto*, qui Romæ agebat, & cui de tributis rationem dare tenebantur. *Sigon. de jure civium Rom. lib.* II. *cap.* IV.

III. Publicanos iſtos omnes Provinciæ ſummo odio deteſtabantur ob violentas ac iniquas extorſiones, quibus iſti portitores ſtipendiarios Rom. Imperii coërcebant. Præſertim autem eos gens Judæorum vehementiſſimè faſtidivit: etſi enim Galilæi acriter urgerent, Judæi tamen tributa in ſua ditione pendi haud concedere voluerunt. (2.) Hujus odii luculentus teſtis eſt Regula illius Rabbi,

etiamnum Eſſeni, Phariſæi, Sadducæi, Herodiani &c. exiſtunt, eodemque cum illis ſpiritu aguntur, ſic etiam publicanos ubivis exurgere, etiam ibi, ubi illud nomen ignotum eſt; niſi velimus inſanire, atque dicere, dictum illud Chriſti *Matth.* 18, 17. *Sit tibi velut Ethnicus & Publicanus.* Item *Matth.* 21, 31. *Publicani & meretrices cedent præ vobis in regnum cœlorum*, ad nos non ſpectare, ſed ad iſtos homines, iſtudque ſeculum, quo Chriſtus in terris fuit. Publicani ergò vel hodie omnes illi ſunt, qui aliorum damno vivunt, nec religioni ducunt, prædari, furari, fallere, mentiri, ut prædones, fures, milites, circumforanii, aleatores, mercatores & opifices fraudulenti, mendici, & id genus alii. *vid. not.* (3)

(2) Hinc celebris fuit domus illa collectionum Hebr. בית אספים *beth aſüppim* ad mare Galilææ, non procul à Capernaum.

bi, quem citat *Casaub. Exerc.* III. 37. quæ sic habet; *ne ducite in matrimonium quandam ex domo Publicani, omnes enim ejus domestici Publicani sunt.* Eos sanè sæpè provincias injustis tributis onerâsse inde claret, quòd *Sabino* ob benè gestum istud munus ad immortalem nominis memoriam imago posita sit, sub hoc titulo, καλῶς τελωνήσαντι, *Bene functo Publicani munere. Sueton. in Flav. Vesp. cap.* 1. Propterea mirum non est *publicanos* & *peccatores* (3.) in Euangelio jungi.

IX. Hodie ab omnibus, tanquam invicta veritas receptum est, ista munia non solos Gentiles, sed & ipsos Judæos obiisse, etsi *Tertullianus* in contrarium abiret, *de pudic. cap.* 9. Verum postmodum *Hieronymus ep. ad Damas.* illius opinionem prorsus confecit. Et ratio ipsa dictat Judæis istud munus non penitus displicuisse. (4.) Nam 1. Matthæus

(3.) Judæi in Talmude, præsertim in *Sanhedrin* publicanos nequissimis quibusque annumerant, videlicet latronibus, furibus, aleatoribus, vendentibus fructum anni septimi, aliisque hujus farinæ hominibus. Erat autem duplex publicanorum, quos Judæi מוֹכְסִין *computatores* vocabant, genus: nempe spontanei, & à Rege constituti, quorum priores plerumque exactores turpissimi fuerunt.

(4.) A. Verisimile sanè est, Judæos, qui admodum luteæ isti massæ inhiant, tali mercaturâ vix abstinuisse. B. Ipsius Salomonis tempore illi mercatores, quorum mentio habetur, 1. *Reg.* X. 15. 28. 2. *Chron.* I. 16. conjiciuntur à quibusdam fuisse publico vectigali præfecti. C. Et hodie Itineraria nobis produnt, Judæos, utpote ab unguiculis in numerando supputandoque ære promptissimos, apud Muhammedanos quæstuosis his tabernis præesse. D. Publicanus simpliciter non prohibetur jus & testimonium dicere apud

thæus ipse fuit πελώνης, Apostolico post munere insignis; nec credi potest, ipsum è Paganismo ad istud munus vocatum. 2. Zachæi nomen purum putum Hebraicum est, nec ullo modo Latium sapit. 3. Nervus argumentorum, quo *Tertullianus* nititur, fumus est; nam fraudi fuit acutissimo *Pœno* Hebraicæ linguæ ignoratio; nusquam enim in fonte occurrit spurius ille textus, cui *Tertullianus* potissimum fidit; *non erit vectigal pendens, ex filiis Israël; Deut.* XXIV. 7. (5.)

CAP.

apud Judæos (unde ipse pater R. Siræ tredecim annos publicanum egit) modo ne plus stato exigat quod refert *Cel. Cocc. Exc. Gem. Sanh. cap.* 3. §. 3. Si autem animadversum est, aliquem amplius exigere, quam fixum est, rejectus est à judiciis: adeo ut ad testimonii fidem non admitteretur, etsi restitueret, quod injuriâ abstulit, tum quia ignorare, cui debeat restituere, præsumitur; tum quia, quoad illo se munere non abdicat, ad ingenium rediturus censetur. Vide eundem in *Sanh. cap.* 3. §. 3. *not.* 11.

(5.) לֹא יִהְיֶה קָדֵשׁ מִבְּנֵי יִשְׂרָאֵל, ubi voce קָדֵשׁ, quæ notat cinædum, iste Pater abusus est. Is autem error manavit ex versione Hellenistica, quâ πλεισφόρος & πλεισκόμενος usurpantur, sive pro eo, qui est scortum masculum, vel fæmineum, pretium pendens, vel accipiens, sive pro eo, qui est mysteriorum Gentilium præfectus seu initiatus. *Selden. de Jur. nat. & gent. lib.* 2. *cap.* 5.

Landesbibliothek Oldenburg

CAP. III.

De Proselytis, seu Judæis adventitiis.

I. TOtam Israëlis Rempublicam constituebant duûm generum homines, *Hebræi* & *Proselyti*, h. e. qui religionem Judaicam amplectebantur. Is, qui vel patre Hebræo, vel matre Hebræâ prognatus erat, *Hebræus* fuit; Et, qui utrisque Hebræis parentibus obediebat, *Hebræus* audiebat *ex Hebræis*; Talis erat Paulus *Phil.* III. 5. Ἑβραῖος ἐξ Ἑβραίων. Is, qui ortus fuit vel patre proselyto, vel matre proselytâ, vocabatur בֶּן גֵּר *ben ger*, *filius proselyti*, vel בֶּן גֵּרָה *ben gerah*, *filius proselytæ*; qui autem editus erat utroque parente proselyto, appellabatur בַּגְבַּג *bagbag*. *Pirk. Aboth. cap.* 5.

II. Hebræi quoque specie differebant, quidam Palæstinam incolentes Hebraico utebantur textu, & hos vocabant *Hebræos*, seu Judæos; alii dispersi per Græcorum ditiones versionem Græcam tractabant, unde traxerunt nomen Ἑλληνιστῶν *Græcissantium. Scalig. Animadv. in Euseb.* 124. 1. & *in Can. Isag.* 278. Utrosque memorat Lucas *Act.* VI. 1. *ortum est murmur* τῶν Ἑλληνιστῶν *adversus Hebræos*; ubi nota differentiam inter Ἕλληνας & Ἑλληνιστάς *Græcos* & *Græcissantes*. (1.) *Græci* sive Ἕλληνες Apostolo sunt illi,

(1.) Uno in loco scil. *Act.* XI. v. 20. confundi videntur Ἕλληνες cum Ἑλληνισταῖς. Ubi tamen ratio suadet legi debere πρὸς τοὺς Ἕλληνας: quoniam hi vs. 19. opponuntur Ἰουδαίοις, quod est commune nomen Hebræis Palæstinis & Hebræis Ἑλληνισταῖς. Et *Usserius* in *Annal. part.* 2. *pag.* 644. testatur in vetusto codice Alexandrino lectum fuisse Ἕλληνας.

illi, qui opponuntur *Hebræis* latè sumptis, sive capias eos pro dispersis inter (†) Græcos, sive pro Palæstinæ incolis. Ἑλληνισταί sive *Græcissantes* & natu & cultu *Hebræi* erant, in oppositione Hebræorum strictè sumptorum, h. e. eorum, qui Palæstinam incolebant.

III. Totum Israëlis corpus in XII. tribus erat distributum, & certi genealogiarum catalogi uniuscujusque familiam tribumque docebant. Has genealogias flammâ delevit Herodes, ut insequentibus ævis Israëlitarum gente satus videretur, sublatis his publicis genealogiis. Hoc de ipso testatur *Eusebius Eccl. Hist. lib.* 1. *c.* 8. Mea est sententia, ipsum hoc ob alium quoque finem fecisse, ne scil. distinctio familiarum tribuumque appareret, sed

(†) Priori cap. de publicanis certissimam circa personas in S. S. obvias interpretationis regulam dedimus; quæ & hic locum habet. Nisi ergo velis dicere, ad nos non amplius pertinere Apostoli cautionem; *Estote absque offendiculo & Judæis & Græcis & Ecclesiæ Dei*, sive veris Christianis, 1. *Cor.* X. 32. oportebit concedere, ubivis locorum, ubi Christi nomen auditur, ternum illud genus hominum inveniri. *Græci* ergò sunt vel homines ethnicis cupiditatibus immersi, & voluntatem carnis sequentes, *Eph.* II. 1. 2. vel sapientes hujus mundi, & juxta seculum docti, & σοφίαν ἀνθρωπίνην quærentes. 1. *Cor.* I. 22. & II. 4. *vid. Cocc. in Joël.* III. vs. 6. *Judæi* autem erunt, qui sensus suos consulunt, & signis ac symbolis addicti, *l. c. conf. Matth.* XII. 38. 39. pro visibili cultu & elementis mundi depugnant, spiritualitatem Regni Christi ignorantes. *Dei* verò *Ecclesia* est, quæ in ipsum sanctuarium rupto velo, & relictis atriis tùm gentium tùm Judæorum, penetrat, Deoque Rationalem & spiritualem, seu verum Cultum præstat.

Landesbibliothek Oldenburg

sed velut confusum chaos genealogiarum, domum Davidis, cui jure competebat raptum ab ipso Sceptrum, obnubilaret, adeoque ipse cum posteris tanto tutius regium fastigium occuparet.

IV. *Proselyti*, sive Judæi adventitii, Pagani erant, qui abdicato Paganismo se in gremium Judaicæ Ecclesiæ recipiebant. Proselyti vocabantur ἀπὸ τῆς προσελήλυθέναι, ab *adventando*, & ad Judæos se conferendo. Quod ad hos Proselytos, tria hæc ponderabimus: 1. Peculiares proselytorum species. 2. Modum eos initiandi. 3. Quo pretio inter Judæos habiti fuerint.

V. I. Species Proselytorum duæ erant, גֵּר בְּרִית (a) *ger berith, proselytus fœderis*, qui præputio abscisso se totum pædagogiæ Mosis subdebat. Talem Rabbini nomine גֵּר צֶדֶק *ger tsedek, proselytus justitiæ*, honestabant. *Rabbi Salomon Deut.* XXIII. 14. (b) Erat & גֵּר שַׁעַר *ger schagnar, proselytus portæ. Deut.* XIV. 21. de quo & legimus in decalogo. Ipsi licebat sedem figere inter Israëlitas, ob quam causam etiam תּוֹשָׁב *toschabb, incola* dicebatur. (2) Hic non

(2) Tales גֵּרֵי שַׁעַר *proselyti portæ*, seu inquilini vocabantur etiam חֲסִידֵי אֻמּוֹת הָעוֹלָם *pii gentium*, neque baptismum recipiebant, neque circumcisionem, neque ullos Mosis ritus. Tales, si modo præcepta filiorum Noæ observent, in Talmude dicuntur habere partem in futuro seculo, & comparantur Sacerdoti magno. Sed falluntur isti Talmudici, quando putant, quempiam ante Christum salvari potuisse, si solis illis VII. præceptis obtemperet, interim autem non habeat fidem Noæ præconis Justitiæ.

Landesbibliothek Oldenburg

circumcidebatur, nec ritus & δόγματα Mosis verebatur, adstrictus tantùm observandis septem *Noachidarum* præceptis, (3) quæ Hebræorum Magistri hæc esse produnt. A. Pœnas & judicia de maleficis. B. Benedictionem nominis Divini, sub qua comprehendebatur observatio Sabbathi. (4.) C. Detestationem omnis idololatriæ. D. Nuditatis obtectionem. E. Homicidii & F. membri vivi abstinentiam. *Schindler. in Pent. pag.* 1530. Ex his præceptorum istorum cultoribus erat *Naaman Syrus, Eunuchus, Cornelius* & (5.) *illi*, qui memorantur *Act.* II. 5. *Habitabant Hierosolymæ Judæi*, ἄνδρες εὐλαβεῖς *viri pii ex omni gente sub cœlo.*

VI.

(3.) Hæc Noachidarum præcepta variè proferuntur. Alii ita recensent: A. de Idololatria. B. de Benedictione numinis sive nominis Divini. C. de sanguinis effusione. D. de revelatione pudendorum. E. de rapina. F. de Justitia & Judiciis. G. de membro vivi. Alio modo adhuc citat Celeberrimus *Cocc. Sanh. cap.* 7. §. 5. quibus ibidem plura præcepta addita videre potes.

(4.) Forsan ante Christum natum istud de Sabbatho præceptum Rabbinis valebat; nunc postquam Christiani diem Solis feriantur, quem illi יוֹם נוֹצְרִי *diem Nazarenum* vocant, non integrum est feriari Sabbathum. Vid. Cel. *Cocc. Sanh. cap.* 7. §. 6. *not.* 1. 2.

(5.) Horum videtur fuisse Naaman solus. Cornelium Cel. *Coccejus* non concedit fuisse ex piis gentium, nec ullo modo se Mosis ceremoniis & legi subjecisse, sed, quum sciret, quæ circa Christum Hierosolymis evenerant, & expectaret spem patrum, Christi noluisse esse exsortem. Eunuchus autem, qui non fuit castratus, sed סָרִיס aulic° δυνάστης *Candaces* (quod est commune illarũ Reginarum nomen) certè proselytus, & quidam גֵּר צֶדֶק fuit, nam ascendit Hierosolymam, tam longum emensus iter, ut ibidem adoraret; legit etiam præterea Esaiam.

Landesbibliothek Oldenburg

VI. II. Ad *Proselytum fœderis* initiandum, differunt ritus initiationis, respectu *tum generis*, *tum temporis*. Ad *virum* initiandum, tria requirebantur. *Moses Kots. fol.* 20. *col.* 2. A. *Circumcisio*. B. *Ablutio*. C. *Sanguis victimæ*. Hebr. בְּמִילָה וּבְטְבִילָה וּבְהוֹצָאַת דְּמִים שֶׁל קָרְבָּן *bemilah*, *ubhitbilah*, *ubhehozáath damim schel korban*. Hæc oblatio constabat plerumque duobus turturibus, vel domesticis columbis. Ad initiationem *Proselytæ*, solam *ablutionem & oblationem* adhibebant. *Drusius de trib. Sect.* 2. *p.* 102. Et quum nunc Judæi altari & victimis careant, dicunt sufficere, uti vir solâ ablutione & circumcisione, fœmina solâ ablutione initientur, *Moses Ægyptius in Assure biah*, *Pereb.* 13. *fol.* 137. vide *Serar. Trihær. lib.* 2. *cap.* 2. Addunt tempore Davidis multis millibus proselytorum Ecclesiam, citra circumcisionem, solo ablutionis ritu usurpato, auctam fuisse.

VII. Hinc facile possumus colligere, ritum istum ablutionis diu multumque (6) inter Judæos

(6) Judæi hujus baptismi usum ἐκ πάνυ ἀρχαίων è *vetustis temporibus* arcessunt. Sunt qui Jacobo adscribant, Sichemitarum filios suæ domui inserenti: *Gen.* XXXV. 2. Dixit Jacobus familiæ suæ; *amovete à vobis Deos alienos & mundamini*. Alii ex illis à Mose petunt originem: *lavent suas vestes*. *Exod.* XIX. 10. Sed quod autor præmittit de tempore Davidis & Salomonis, credibile est, tum invaluisse morem istum baptizandi, quando scilicet ingens proselytorum numerus Judæis accessit. Vide de hoc baptismo plura apud *Selden. de Jure nat. & gent. lib.* 2. *cap.* 2. & 4. *Et Witsii Oecon. fœd. lib.* 4. *cap.* 16. Nisi malis cum aliis statuere, istum baptismum, quem deinde Christus novis prose-

ad initiationem præstandam viguisse, licet sacramentalis non fuerit, usque dum Christus illum ritum in Sacramentum converteret. Imò non hallucinaremur, si diceremus, ob id in usu fuisse ritum istum abluendi vel immergendi, quoniam expectabant tale quippiam in adventu Messiæ. Ut patet exinde, quod Johannem convenientes, non tam de ipsius Baptismo, quam autoritate litem moveant, dicentes; *quid igitur baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque ille propheta? Joh.* I. 25. (7)

VIII. III. Pretium & honor, quo culti sunt proselyti à Judæis, amori junctus fuit; non exprobrabant ipsis quidpiam, nec dicebant, *memento præteritorum factorum. P. Fag. Exod.* XXII. 21. Nihilominus constitutum fuit, ne quis Proselytorum in consessum Sanhedrin admitteretur, *Moses Ægypt. lib. vit. Jad. tract. Sanh. cap.* 2. imò in communi (8) vitæ

proselytis ex Judæis & gentibus retinuit, tempore Maccabæorum exortum. *Vid. D. van Dale Water-Kinder-en weder-Doop.*

(7) Nullum dubium est, quin illi, qui inter Judæos siticulosè Messiam ipsiusque justitiam, δικαίωμα, expectârunt, virtutes venturi Messiæ sciverint, scil. quòd ipsos sit aspersurus aquâ purâ, *Ezech.* XXXVI. 25. *Psal.* LI. 9. hoc est, suâ justitiâ ipsis daturus καθαρισμὸν τῶν ἁμαρτιῶν *purificationem à peccatis*; cujus umbræ fuerunt etiam frequentes illi ἀποθέσεις ῥύπου σαρκός *depositiones sordium carnis*, h. e. lotiones.

(8) Mirum est, quòd Pharisæi, tam anxiè atque sedulò proselytos captaverint, juxta *Matth.* XXIII. 15. cùm tamen iidem apud Talmudicos pessimè audiant. *Nidda fol.* 132. exstat; *tradunt Rabbini nostri proselytos & pederastas impe-*

vitæ commercio crepabant frequenter hoc proverbium, quod ipsis prudentiam & cautionem inculcabat: *vel ad decimam usque generationem à proselytis cave. Casaub. adv. Baron. p. 27.*

CAP. IV.

De ipsorum Regibus.

I. DE triplici Regum specie legitur in N. Test. *Melchizedek* erat & *Rex* & *Sacerdos*. David & *Rex* & *Propheta*; cæteri solummodò Reges. Melchizedeck & Regio & Sacerdotali, David Regio & Prophetico munere clarus erat. Conjunctio συζυγία sacri ordinis & fastigii civilis, docebat, Antistites Rerumpublicarum oportere esse Curatores Religionis. Quo respectu Rex *Joas* unctus, cum diademate *Testimonium* accepit, sive *librum legis*. 2. *Reg.* XI. 12. Inter ipsos Gentiles

 sæpè

impedire adventum Messiæ. Imò proselytos Israëli esse, sicuti scabiem גרים לישראל כספחת. Forsan Gentiles olim scabiosis Judæis, quorum quidam hodieque lucri gratiâ proselyti Christianismi fiunt, non absimiles fuêre. Plura de proselytis eorumque baptismo habes apud *Ottonem Lex. Rabb. p. 491. p. 65.* Nonne etiam isti homines, qui vel hodie ad alias Christianorum sectas aut sponte aut acciti transeunt, in externo sive cultu sive professione & fidei articulis spem & salutem ponentes, plerumque in deterius juxta illud *Matth.* 23. abeunt, vel etiam ad pristina vestigia revertuntur? Quùm enim illam animi quietem & civium sanctimoniam, quam sibi polliciti fuêre, non deprehendant, atque Regnum Dei in sese non quærant, aut se conversos & salvos solo isto proselytismo putent, non mirum est, eosdem facile in diversum agi, aut duplo pejores fieri.

Landesbibliothek Oldenburg

ſæpè idem homo & Sacerdotio & Sceptro gaudebat. Hinc canit *Virg. Æneid. lib.* 3.

Rex Anius, Rex idem hominum; Phœbique Sacerdos.

Trismegiſtus (1) Τρισμέγιστος *Ter maximus* dictus eſt, quoniam fuit *Philoſophus Maximus*, *Sacerdos Maximus*, & *Rex Maximus. Alex. Neapol. lib.* 2. *cap.* 6.

II. Non omnes Reges uncti ſunt, ſed ii ſoli, in quibus defecit ſtirpis legitima ſucceſſio, & tum primus lineæ illius Regiæ pro omnibus poſteris oleo unctus eſt, niſi lite ortâ cuidam ſceptrum diſputatum fuerit; tum enim ad firmandam ſtabiliendamque autoritatem, unctio iterabatur. Hæc ratio

(1) Triſmegiſtum unquam exſtitiſſe non ſine ratione negavit *Joannes Goropius*, uti & Zoroaſtrem. Facilè autem evincere poſſem, Moſem ipſum per Triſmegiſtum à Gentibus notatum eſſe; nam A. fuit philoſophus, Ægyptiorum ſcientiis imbutus *Act.* VII. 22. Sacerdotes ſacro oleo unxit & ordinavit, & ſacrificium fecit Lev. 8. Rex etiam putatus eſt, non tantùm, quòd velut dux Iſraëlitas rexerit, ſed quòd in aula Regis educatus, filius filiæ Pharaonis appellatus fuerit. B. Triſmegiſtus dicitur leges literaſque dediſſe; quod convenit Moſi. C. Triſmegiſtus vocatus etiam Mercurius; atqui Mercurius facilè confertur Moſi: α. dum quaſi è cœlo Dei mandata petiit, h. e. in monte Sina inter nubes. β. Mercurius pingitur cum bacillo, cui angues implexi ſunt, quod indigitat baculum Moſis in anguem converſum. γ. Mercurius dicitur fugiſſe ob cædem Argi; Moſes ob cædem Ægyptii ἀδικοῦντος Iſraëlitam *Act.* VII. 24. D. Fabulantur quoque Triſmegiſtum fuiſſe filium Nili; atqui ab aquis, queis extractus fuit, hoc eſt, ſine dubio, Nilo nomen מֹשֶׁה ſortitus eſt, ſive derivemus iſtud nomen à rad. מָשָׁה *extraxit*, quod plauſibilius, ſive à voce Ægyptiaca Μωὺς *aqua* à מַיִם teſte *Kirchero in prodr. Coptico.*

ratio fuit, (2) cur Salomon unctus æquè fuerit ac Pater David, ob simultatem scil. inter ipsum & Adoniam accensam.

III. Præterea Saul & Jehu (†) uncti fuere בְּפַךְ הַשֶּׁמֶן *lenticula sive vase unguentario*, quod portendebat brevitatem ipsorum imperii; David autem & Salomon (†) perfusi fuêre בְּקֶרֶן *cornu unguentario*, h. e. abundanti copiâ, quod præsagium erat regni ipsorum longiùs duraturi.

(2) Hæc quidem ratio vera est, sed & alia; nimirum Jus primogenituræ valebat inter Reges Israëlis; hinc quoad hoc jus observabatur, credebantur primogeniti, posteri Davidis, in patre suo Davide uncti, & in throno stabiliti; quando autem extra ordinem minor fratrum, vel propter singularia dona, vel propter speciale Dei mandatum, primogenito præferebatur, necesse videbatur esse, ut ungeretur, quoniam nova quasi successio, quæ unctione initianda erat, ordinariam obliterabat. Hinc & Salomon unctus, ut qui Adoniâ minor natu fuit.

(†) Ceremonia initiandi Reges apud varias gentes varia semper fuit. Solum *Oleum* videtur Deus Israëlitarum Regibus vindicasse, idque odoratissimum, saluberrimumque & summi usûs atque pretii; ut doceret, solos eos Reges esse, quique sibi ipsis, & inutili ceremoniarum luxuriæ æquè ac aliis leges dicere sciant, quos Spiritus S. donis suis mactos fecerit. Coronam complures populi suis Regibus imposuêre. *Imperatores Germanorum* quondam & ferreâ redimitos legimus. Auream multi ponderis habuit *Rex Ammonitarum*. 1. *Par.* 21. Regem *in Siam* mitrâ pretiosissimâ ornant, & dextræ ejus strictum ensem, sinistræ bilancem addunt. Rex verò *in Pegu* solenni eo tempore coronam plumbeam capite, manu asciam gerit; signa æquitatis & justitiæ. At *Turcarum* Imperatores absque ulla pompa & fastu creantur.

Hic

IV. Quemadmodum corona, ſceptrum, thronus, &c. aliaque Regalia προτερήματα & prærogativæ Reges à Vulgo diſcriminabant, ita habitus corporis; unde Achab in prælium deſcendens veſtimenta ſua mutat 1. *Reg.* XXII. 30. Etſi verò (*) purpura albæque veſtes non ſolis Regibus uſurparentur *Valer. Max. lib. 1. cap.* 6. attamen hi colores in ſummo pretio, & ab ipſis plerumque geſtati erant; purpuram præſertim amabant Imperatores Equitesque Romani. *Alex. ab Alex. lib. 1. cap.* 20. (*) Albas verò veſtes ſibi deligebant Nobiles Hebræorum, unde ipſi, & cæteri præclaro ſtemmate inſignes, vocabantur חוֹרִים *Chorim*

Hîc nec purpuream tunicam, nec coronam nec ſceptrum, nec globum, quem vocant Reichs-Apfel / nec quicquam aliud videas. Sola admiſſio in Palatium, quod quaſi obſidetur & intercluditur à Janizaris, ſufficit illis ad initiationem.

(*) Quanquam arbitrio humano videatur relictum, hunc vel illum colorem ſeligere, pulcrioremque cenſere, qua de cauſa Turcæ viridem, Chinenſes flavum, antiqui Romani purpureum, Japoni (quos imitantur Nobiles Veneti) nigrum Regibus & Proceribus ſuis aſſeruiſſe videntur; veriſimile tamen eſt, & ipſis coloribus naturam aliquid notare & loqui velle. Neque enim ſine cauſa Deus Tabernaculo & miniſtris ſacerdotibus purpurea & candida velamenta (cui forſan intexta erant fila viridia, non cœrulea) confici curavit; de quibus coloribus poſtea. Quid velint milites rubicundis, & noſtri molitores albicantibus pannis utentes omnibus conſtat. At quid rei eſt, quòd ſub Paparum Imperio ſacrificuli nigris amiciri amarint? quos proinde judæi כּוּמְרִים ſeu *ſacrificulos pullatos*, & moniales כּוּמְרִיּוֹת nominant.

rim Albates; illos autem, qui obſcuro loco editi erant, חשוכים *Chaſchuchim*, obfuſcatos, obſcuros dicebant. Hinc natum illud *Jacobi cap.* II. *vſ.* 2. *Si intret in cœtum veſtrum vir cum annulo aureo, in veſte ſplendida* ἐν ἐσθῆτι λαμπρᾷ, *intret verò etiam pauper* ἐν ἐσθῆτι ῥυπαρᾷ *in veſte ſordida.*

V. Hæc forſan ratio fuit, cur milites, Judæis Chriſtum ſeditionis arguentibus coram Pilato, ipſi purpuram injecerint Matth. XXVII. 28. *Herodes autem* ὁ τετραρχῶν τῆς Γαλιλαίας ipſum albâ veſte texerit Luc. XXIII. 11. quo facto ſuum jus & morem non ſine amara illuſione in Chriſtum transtulerunt, quando Chriſtum Regio cultu amiciverunt. (3)

(3) Sicut Deus per os Bileami & Cajaphæ prophetiam pronuntiari voluit, ita hic per purpuram Chriſto ſceleſtorum manibus injectam ſignificavit, ipſum revera eſſe Regem, & ſuo ſanguine datam æterno teſtamento hæreditatem redempturum. Etenim purpura & color ſanguineus etiam ſub V. T. notavit Chriſti ſanguinem fundendum. Pelles arietum rubefactæ contra omnem tempeſtatis injuriam tuebantur tabernaculum; quod ſignificat Eccleſiam conſervari per mortem ejus, qui tanquam tale animal oblatus eſt. Exod. XXV. 4. 5. Num. IV. 13. Chriſtus quoque apud Dan. VII. 9. in ſolio, veſte candidâ apparuit; quæ nota eſt puritatis & juſtitiæ, quod juſtus pro injuſtis mortuus fuerit; unde jam pii in ipſius ſanguine dealbârunt veſtes ſuas, & juſti ſunt. Apoc. VII. 14. Et ipſe Sacerdos ſummus typus Chriſti induebat tunicam ex byſſo, & cidarim ex byſſo, & baltheum ex byſſo; quæ præfigurant Chriſti juſtitiam ἄμεμπτον καὶ ἀνεπίληπτον *inculpatam.*

Landesbibliothek Oldenburg

CAP. V.

De Pontificibus summis, Sacerdotibus, Levitis, & Nethinæis.

I. TEmpli cura tribus ordinibus ministrorum demandata fuit; *Sacerdotibus*, *Levitis*, & *Nethinæis*; qui comparari possunt *Episcopis*, *Diaconis*, & *Subdiaconis* Ecclesiæ primitivæ. (1) Horum caput erat *summus Pontifex* sive *summus Sacerdos*. In Aaronis posteritate perstitit Sacerdotium; ejus prosapiæ autem primogenito cedebat *Pontificatus*, cùm cæteri posteri ἁπλῶς simpliciter *Sacerdotes*, h. e. *Sacerdotes secundi ordinis*, dicerentur. 2. *Reg.* XXIV. 4. Sic præter Aaronem ipsiusque lumbis natos (quibus Sacerdotium datum erat) omnis reliqua Levi posteritas *Levitæ* vocabantur.

II. Et in *Summis* & in *Secundis Sacerdotibus* duo occurrunt observatu digna: 1. ipsorum *initiatio*, 2. ipsorum *functio*. In his duabus partibus differunt quadantenus, & conveniunt quadantenus.

III. 1. Differunt in initiatione, nam 1. *Summus Sacerdos* ungebatur; materia hujus χρίσματος describitur

(1) Antiqui φιλοπρωτεύοντες contra mandatum Christi Matth. XX. 26. 27. distinxerunt verbi ministros, additis insuper novis dignitatum nominibus, πατριαρχῶν, μητροπολιτῶν, ἐπισκόπων οἰκουμενικῶν, Ἀρχιδιακόνων, &c. cum tamen Presbyteri & Episcopi iidem fuerint, & sæpè διάκονοι nominentur, licèt hi distincti etiam fuerint à πρεσβυτέροις. *Act.* VI. 2-6. uti pluribus probant *Salmas. lib. de primatu Papæ*, & *Momma tom.* 2. *cap.* 10.

Landesbibliothek Oldenburg

tur (2) *Exod.* XXX. 23. Effundebatur in caput Aaronis *Lev.* VIII. 12. descendebat in barbam & vestimenta ejus. (3) *Ps.* CXXXIII. 2. *Secundani Sacerdotes* tantùm adspergebantur *oleo* isto *unctionis* admixto sanguine, qui erat super altari, *Levit.* VIII. 30. Hinc *Sacerdos Summus* in fonte legitur *Sacerdos unctus. Lev.* IV. 5. *Jonathan* habet; *Sacerdos magnus*, vel *summus.* Disertè *Aben-Esra*; *Sacerdos magnus ipse est Sacerdos unctus. Lyranus* adhuc clariùs; *Sacerdos unctus est Sacerdos magnus, quia inferiores Sacerdotes non ungebantur.*

IV.

(2) Oleum istud unctionis compositum fuit ex ἀρώμασι καὶ ἡδύσμασι πολυτελέσι, *aromatibus & condimentis suavibus multi valoris.* Quod oleum emblema fuit Spiritûs S. 1. penetrat, sanat, artusque vegetos ad currendum pugnandumque reddit, 2. hilarat, 3. suavi odore εὐωδίας perfundit. Sic Spiritus S. præprimis effunditur in N. T. exhibito ἀντιτύπῳ Aaronis, & operatur ita in Electis, ut edant bona opera, h. e. spirent εὐωδίαν, & hilarentur, *Rom.* VIII. 15. & parati sint ad luctas & certamina.

(3) Oleum descendens in barbam ac togam ipsius Aaronis notat 1. Spiritum S. non ex mensura effusum in Christi humanam naturam, quam Deo in sacrificium obtulit, & in qua potentissima Deitatis opera eluxerunt, *Act.* X. 38. nam vestis est γέννημα fœtus terræ, & notat Christi ἀνθρωπότητα *Esa.* LXIII. 2. 2. Barba & toga simul quoque notant membra Christi, quæ participant de unctione Christi. Primò effusum fuit oleum in caput Aaronis, sic Christus à seculo unctus est, *Prov.* VIII. 23. deinde descendit in barbam & togam, h. e. omnes fideles Novi Test. fratres Christi κατὰ σάρκα *quoad carnem*, & in quibus velut veste habitat & vivit. Sic de Ecclesia dicitur, quod velut ornamentum induat fideles. *Esa.* XLIX. 18. Interim quidam fidelium oleo isto Spiritus tenuiter adsperguntur, quidam abundantius unguntur.

Landesbibliothek Oldenburg

IV. Per hoc denotata fuit unctio nostri Salvatoris, *uncti oleo alacritatis supra consortes suos. Psal.* XLV. 8. Unctus fuit supra consortes suos *extensive & intensivè. Extensive*; nam etsi Aaron fuerit *Sacerdos* unctus, Saul *Rex* unctus, Elisa *propheta* unctus, (4) Melchizedek & *Rex* & *Sacerdos*, Moses *Sacerdos* & *Propheta*, (5) David *Rex* & *Propheta*; nemo tamen nisi solus *Christus* Χριστὸς, מָשִׁיחַ, simul & *Rex*, & *Sacerdos* & *Propheta* fuit. *Intensive*; Ipse est *unctus*, nos *adspersi*; ipse *plenus gratiâ & veritate*, *nos ex ipsius plenitudine accipimus gratiam pro gratia* χάριν ἀντὶ χάριτος. (6) *Joh.* I. 14. 16. Et omnes Chri-

(4) Sæpè evenit, ut ceremonia usurpata circa aliquam rem, fortiatur ejus nomen.

(5) Rectè hîc omittitur, quod Moses fuerit *Rex in Jeschurun*. Deinde nec semper fuit Sacerdos; electis enim Levitis & Sacerdotibus, cessavit, uti omnes primogeniti, sacrificare: fuit autem; 1. μεσίτης Mediator. 2. λυτρωτὴς Liberator. 3. νομοθέτης Legislator. 4. Propheta. Joh. I. 17. Gal. III. 19. 20. Act. VII. 35. Deut. XXXIV. 10. in quibus partim convenit, partim opponitur Christo. Fuisse tamen sacerdotem vel ex solo Psalmi 99. 6. testimonio constat.

(6) Christus unctus dicitur duplici ratione; 1. quatenus ordinatus est à Patre ad certum munus. 2. quatenus unctus est Spiritu Sancto; quod tria importat; 1. quòd super ipso sit Spiritus Domini Esa. LXI. 1. hoc est, quòd sit ὁ Θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας *Deus benedictus in secula.* Rom. IX. 5. 2. quòd ipsius humanitas sit donis spiritualibus omnibus instructa. 3. quòd opera divina fecerit, & propter ipsius δικαίωμα Spiritus Sanctus effusus sit in corda fidelium, præprimis in Nov. Test. Joël. II. 28. Sic videmus, quomodo ex ipsius plenitudine accipiamus gratiam largam pro gratia parcius data in V. Test. Nisi malis dicere χάριν ἀντὶ χάριτος notare gratiam fidelium gratiæ Christi congruam & respondentem.

Landesbibliothek Oldenburg

Christiani, præprimis *ministri*, sunt Χριστοῦ εὐωδία τῷ Θεῷ (7) *fragrantia Christi Deo* 2. *Cor.* II. 15.

V. II. Differunt quoad *vestes*, quæ erant necessarium adjunctum & requisitum initiationis ipsorũ. Summus Sacerdos tempore ordinariæ functionis in Sanctuario VIII. vestibus ornatus erat. Exod. XXVIII. quæ erant *I. Femoralia* (8) *linea ad tegendam carnem nuditatis. II. Toga ocellata*, sive tessellata, (9) ex byssо, sive Xylino, quæ obtegebat femo-

(7) Christiani sunt Christi fragrantia Deo, h. e. Christus suo sacrificio, quod fuit רֵיחַ נִיחֹחַ *odor acquiescentiæ* Deo Gen. VIII. 21. comparavit Ecclesiæ suæ 1. Justitiam, quâ justi sunt & fiunt coram Deo, quaque Deus, tanquam bono odore, acquiescit. 2. Spiritum Sanctum, cujus oleo pretioso delibuti sunt, sic ut jam spargant de se operum in charitate factorum fragrantiam. 3. Sacerdotium spirituale, in quo θυμιάματα, h. e. timorem & preces & suspiria igne cœlesti adolent.

(8) Autor hic vestes ordine disposuit: primum ergo indumentum fuerunt femoralia linea. Hebr. מִכְנְסֵי בַד Luth. Leinen Nieder-Kleider. Belg. Linnen Onderbroecken. Angl. *Linen Breechs.* LXX. περισκελῆ, *braccæ.* Hæc vestis duo notat: 1. in Christo pontifice nihil visum fuisse ἄσχημον, *turpe*, peccatum; 2. nos velut sacerdotes debere Deo servire μετ' αἰδοῦς καὶ εὐλαβείας, *cum verecundia & pietate seu pio timore. Hebr.* XII. 28.

(9) Toga byssina & ocellata Hebr. כְּתֹנֶת שֵׁשׁ & כְּתֹנֶת תַּשְׁבֵּץ Luth. ubique Engrock / von weisser Seiden. Belg. een Rock van Gogskens / van fyn Linnen. Angl. *à Broidered coat of fine linen.* LXX. χιτὼν βύσσινος & κοσυμβωτός. Quid byssina toga notârit, vide *antec. cap.* 4. *not.* 2. scutulæ & oculi in ista toga notârunt varietatem χαρισμάτων, & perfcitum nitorem, tum in proprio, tum mystico corpore Christi.

Landesbibliothek Oldenburg

femoralia linea. *III. Baltheus acupictus* opere phrygionico, (10) ex byſſo, hyacinthino, purpureo, & coccineo dibapho, quo tunica ſtringebatur. IV. *Tunica tota hyacinthina*, (11) ex cujus fimbriis

(10) Baltheus nota eſt A. Poteſtatis, Eſa. XXII. 21. qua Chriſtus veſtem ſuam, h. e. omnia quæ ipſi data ſunt, continet. B. Τῆς ἑτοιμασίας, promptitudinis ad juſtitiam omnem faciendam Eſa. XVI. 5. Eſa. XI. 5. Ita nos decet eſſe promptos Eph. VI. 14. qui ſumus Sacerdotes. C. Quòd fuerit acupictus, deſignat promtitudinem regulatam, quæ eſt cum notis & ſignis τῆς εὐδοκίας *beneplaciti*. Hic paucis depingendi colores, quibus cingulum, malogranata, amiculum &c. interſtincta erant. *Primus* erat hyacinthinus, Hebr. תְּכֵלֶת. Luth. ſemper gehle Seiden. Cur ipſe addiderit Seiden/ non liquet. Belg. Hemels-Blauw. Angl. *Blue*. LXX. ὑακίνθινον; qui color participat de purpureo & cœruleo, & eſt violaceus. Rabbini volunt fuiſſe colorem maris, h. e. Smaragdi viridis, qui color paſcit oculos & notat gratiam JeſuChriſti & eſt in Iride. *Secundus* color fuit purpureus. Hebr. אַרְגָּמָן. Luth. Scharlach. Belg. Purper. Angl. *Purple*. Purpura eſt coloris fuſcioris ad vaccinia accedens, unde Virgilius, *vaccinia nigra* dixit pro purpureis, & denotat ταπεινωσιν humilitatem triſtitiamque extremam. Et quoad fuit fuetus Regibus color, ſignificat Chriſtum eſſe Regem ἐκ τῶν ἄνω *cœleſtem*. *Tertius* color fuit coccineus dibaphus. Hebr. תּוֹלַעַת שָׁנִי. Luth. Roſinroth. Belg. Scharlachen. Angl. *Scarlet*. LXX. κόκκινον κλωστὸν & κεκλωσμένον, *Coccinum contortum*. Color coccineus, h. e. roſeus, ſanguineus, puniceus; dibaphus, h. e. *bis tinctus*; ſignificat ſanguinem & patientiam duplicem Jeſu Chriſti. *Quartus* fuit candidus, nota fidei infucatæ, & ſinceritatis Jeſu & omnium fidelium.

(11) Tunica tota hyacinthina. Hebr. מְעִיל הָאֵפוֹד

tunica

briis dependebant LXXII. aurea tintinnabula, (12) internexis malogranatis (13) hyacinthinis, purpureis & coccineis. Hæc toga operiebat tunicam ocellatam & baltheum acupictum. V. *Ephod* אפוד

tunica interior sub Ephod, & simpliciter מעיל. Tunica fuit, non pallium ut Trem. & Jun. Belg. Mantel. Bene Luth. Rock / Seiden-Rock / unter dem Leib-Rock. Angl. *à robe*. LXX. ποδήρης *talaris*. Sic Josephus ait fuisse ποδήρη tunicam ad pedes defluentem, & quidem δι' ὅλου ἄῤῥαφον, *Joh.* XIX. 23. ad significandum tùm Majestatem tùm τὴν ὁλοκληρίαν καὶ ὁλοτελειότητα J. C.

(12) Ex illa tunica pendebant nolæ aureæ, quæ quatuor inferunt; 1. quod Christus locuturus sit verba Dei, nam aurum in illo ære tinniente ut & reliquis vestibus est symbolum Deitatis, quia est metallum purissimum, pretiosissimum, sibique simile. 2. quòd, quando in Sanctuarium, h. e. cœlum abiverit, gratissimus Evangelii sonus quaquaversum exclusarum gentium animos mulsurus sit. 3. idque per os duodecim & sexies duodecim h. e. LXXII. discipulorum Christi. 4. nec non omnibus totius orbis linguis, quas Judæi LXXII. numero esse dicunt.

(13) Interserta erant & mixta tintinnabulis malogranata, sic dicta, quia granis referta sunt mala punica, sive citrea. LXX. ῥοιαί, & ῥοΐσκοι: quæ quatuor notant; 1. Sacerdotis nostri suaveolentiam per δικαίωμα justitiam, & oleum Spiritus S. 2. Quòd is animabus nostris saluberrimus cibus factus sit. 3. Quòd, sicut malus granata fructibus semper læta est, pomis aliis maturis, aliis subnascentibus, unde Virg. 2. Georg. 150. *bis pomis utilis arbor*; sic fideles, qui figurantur per vestem, ex qua mala pendent, semper bonos fidei fructus ferant. 4. Sicut fragrantia malogranatorum vestes à tineis tuetur, sic fideles εὐωδίᾳ *suaveolentia* meriti Christi ab omni malo; unde teste Macrobio Romani citrea suis vestibus interseruerunt; quod ipse tamen ipsorum luxui dat.

Landesbibliothek Oldenburg

אֵפוֹד *amiculum* (14) ex auro, hyacinthino, purpureo, coccineo dibapho, & Xylino seu byſſo internexo, opere artificioſiſſimo; in hujus Ephod humeralibus erant duo *ſardonyches*, (15) in quorum unoquoque inſculpta erant ſex nomina tribuum Iſraël. Hoc amiculo ſeu אֵפוֹד tegebatur ἀμέσως tunica מְעִיל. Iſtud amiculum ambibat etiam *cingulum* ejuſdem operis, ex auro ſcil. hyacinthino, purpu-

(14) Amiculum ſeu pallium אֵפוֹד. Luth. Leibrock. LXX. ἐπωμίς chlamys, humerale, ſcapulare. Belg. & Angl. retinent Ephod. Non fuit toga, ſed injecta humeris veſtis absque manicis, ſicut fœminæ Judæorum quibusdam in locis adhuc geſtant & ſicut prophetæ geſtaſſe videntur. 1. Reg. 19, 19. Per hoc Ephod notatum fuit Chriſti munus propheticum, idque pacificum & non manicatum. Tale amiculum & Ephod geſtavit propheta David, 2. Sam. VI. 14. ſed lineum. In hujus amiculi lateribus ſummis erant duo ſardonyches.

(15) Duo Sardonyches. LXX. hic variant; vocant eos jam λίθους πρασίνους, σμαραγδίτας, βηρύλλους lapides virides, & etiam ὄνυχας ſive σαρδόνυχας, qui referunt candorem carnis ungue humano tectæ. Luth. Trem. & Jun. Belg. Angl. habent Sardonychas. Qualis fuerit ille lapis שֹׁהַם, non conſtat certò. Exod. XXVIII. 6. 14. Aaron dicitur portare nomina filiorum Iſraëlis coram Domino in recordationem, quia ſculpta erant in iſtis lapillis; quod duo ſignificat; 1. Verum Pontificem humeris ſuis portare Electos ſuos in cœleſte ſacrarium, *Jeſ.* XL. 11. tanquam pretioſam gemmam & ornamentum, & peculium ſuum. 2. Deum Electorum curam habiturum, iisque multis modis benefacturum, ubi Sacerdos verus ſacrarium cœleſte intrârit, & velut ovabundus hæreditatem ſuam redemptam geſtârit; tum enim Deus Electorum memor eſt κατ' ἔμφασιν. 3. Chriſtum habere quosdam, qui à dextra, & quosdam, qui à ſiniſtra ſint in Regno.

Landesbibliothek Oldenburg

purpureo, coccineo dibapho, & byſſo intertexto. VI. *Pectorale Judicii*, operis artificioſiſſimi, (16) ex auro, hyacinthino, purpureo, coccineo, & Xylino intexto; quod ſpithamam longitudine & ſpithamam latitudine extenſum, & catenulis annuliſque aureis, extremitatibus amiculi connexum erat. Huic inſerti fuerunt duodecim pretioſi lapilli (17) quaternis ordinibus,

C quibus

(16) Externis Amiculi partibus affixum erat pectorale Judicii. Hebr. חֹשֶׁן מִשְׁפָּט. LXX. περιστήθιον pectorale. Luth. das Schildlein. Angl. *Breſtlate.* Belg. Borſtlap. Notabat 1. Jeſum eſſe eum, אֲשֶׁר לוֹ הַמִּשְׁפָּט cui *eſt judicium*, *Ezech.* XXI. 32. & cujus eſt κρίσιν ποιεῖν Joh. V. 27. 2. Fideles, in quorum *pectore* eſt lux, & vera *Ratio* ac ſapientia, idoneos eſſe ad *judicium* juſtum ferendum; cæteros ſemper falli & fallere, falſumque teſtimonium dare.

(17) Nolo hic ob brevitatem evagari in recenſendis duodecim iſtis lapillis; præſertim cùm omnes verſiones fermè invicem collidantur; hinc *Aben-Eſra* in *Exod.* XXVIII. *Non eſt nobis*, ait, *via plana*, *quâ cognoſcamus lapides inſertionis. Niſi quòd duo lapilli Sapphirus & Jaſpis ob affinitatem Hebræarum vocum plerumque retineantur.* Non abs re puto addere, quod à Viris eruditis deprehenſum eſt, ſcil. quòd Jaſpis, qui ultimus eſt Exod. XXVIII, primus ordine ſit Apoc. XXI. quod ſignificat Chriſtum, qui ob virorem & gratiam comparatur Jaſpidi, veniſſe in fine prioris ſeculi, h. e. V. T. & in principio N. Teſt. & coadunâſſe illa duo Teſtamenta. Inſuper quòd Aaron gemmas iſtas geſſerit בְּלִבּוֹ *in corde ſuo* notat, 1. Chriſti interceſſionem pro Sanctis coram Deo; 2. quòd peculium ſuum, oves ſuas, velut poſitas in pectore, amet, noverit, & illis, tanquam rutilantibus ſtellis & gemmis radiantibus, circumfuſus ſit. De *gemmis*, de *pectorali*, deque τῆς *Urim & Thummim* &c. plura *Lib. IV. cap.* 8. §. 101-3.

Landesbibliothek Oldenburg

quibus (†) lapillis insculpta erant nomina duodecim tribuum. Insuper in hoc pectorali posita erant

(†) Quanquam impossibile sit, ex Hebraicis vocibus eruere, quas illæ gemmas præcisè denotent, haud tamen videmur operam perdere, si indicamus, quales illæ gemmæ duodecim sint, quas *Apocalypsis* memorat *cap.* XXI. & quas virtutes habere dicantur. Colores enim omnes, præter fuscum & atrum, virtutum & δυνάμεων in hominibus, angelis, lapidibus & herbis, notæ & signa sunt. *Vid. not. Lib.* I. *cap.* 4. §. 4. *Exod.* XXIV. 10. *Ezech.* I. 13. 16. 22. &c. *Prima* gemma dicitur *Jaspis*. Hîc non indigitari propriè Jaspidem, sed *Adamantem*, firmavimus peculiari notâ *ad vs.* 11. *Apoc.* XXI. in versione nostra N. T. Infractum ejus robur, pelluciditasque κρυσταλλίζουσα, & virtus contra venenum, ut fertur, meritò primas tenet, & puritatem cordis atque fortitudinem spiritûs significat; qualis virtus in Petro, Apostolorum primo fuit. *Matth.* X. 2. *Secunda* gemma dicitur *Sapphirus*, cœruleique coloris est, & virtutem habet firmandi cor, & resistendi gangrænæ. *Tertia Chalcedonius* varium colorem refert, prout Diei obvertitur, & melancholiam pellit. *Quarta*, *Smaragdus*, in viridibus lapillis pretiosissimus, dysenteriæ mederi putatur. *Quinta Sardonyx*, sive *carneolus*, carnis colorem habet, *vid. not.* 15. & sanguinis profluvio obstat. *Sexta Sardius* audit, estque pyropus vel carbunculus, ein Rubin oder Granat/ rubei & ignei coloris, *Hebr.* אֹדֶם, venerem & somnum propulsat. *Septima*, *Chrysolythus*, colore subviridi, & ad flavum accedente excellit. *Octava* est *Beryllus*, coloris quoque subviridis, sed ad cæsium vergentis virtutisque oculos & stomachum roborandi. *Nona*, *Topasius* nomen à Topaza Maris rubri insula, coloremque habet aquæ croco permistæ, & Epilepticis prodesse fertur. *Decima Chrysoprasius* est, luteo viridique perfusus colore; præsens venenum pallore indicat & horret. *Undecima*, *Hyacinthus*, hyacinthini coloris, virtute pestilentiam fugandi, præstat. Postrema *Amethystus* violacei est coloris, & creditur ebrietatem avertere.

Landesbibliothek Oldenburg

erant *Urim & Thummim.* (18) VII. *Cidaris ex byſſo* (19) ſedecim cubitorum, ipſius caput circumîit.

C 2 VIII.

(18) Urim & Thumim. Luth. Licht und Recht. Belg. & Angl. retinent Hebræum. Paucis. Aaron cum munere & veſtitu typus Chriſti erat. Ergo typicè habuit Urim & Thummim, non verè. In pectorali Judicii fuerunt gemmæ lucentes, micantes, Symbolum τȣ̃ φωτός lucis Chriſti; huic Symbolo & ſigno μετωνυμικῶς datur nomen ſignati, quod eſt Urim & Thummim, quodque abſtractè Chriſtus eſt, quia eſt τὸ φῶς τὸ ἀληθινόν *Joh.* I. 19. *lux vera*, quique eſt ipſa integritas, & ſinceritas. Quatenus jam Aaron dicitur habuiſſe Urim, notat Chriſtum eſſe φῶς ὁ φωτίζει *lucem quæ illuminat* præprimis Electos ſuos, & facit ipſos lapides ignis, gemmas ſcintillantes *Ezech.* XXVIII. 14. Quatenus autem dicitur habuiſſe Thummim, ſignificat, Chriſtum gemmas ſuas, quas, ut ſol juſtitiæ, illuminavit, amare ſincerè, ſine fuco, integrè, utpote quæ jam ſint ſine labe, ſinceræ, pulcræ: Sic & Urim & Thummim ipſi XII. lapides ſignum fuerunt. *Levit.* VIII. 8. Quomodo autem Deus dicatur reſpondiſſe per Urim & Thummim, vide clarè hoc enucleantem *Cocc. Epiſt.* CCXIV. & infrà *lib.* IV. *cap.* 8. plura.

(19) Cidaris ſive pileus. Luth. & Belg. Hoet. Angl. *mitre.* Hæc tiara ſive pileus nota eſt ſervitutis, & ſubjectionis, unde mulieres velatas eſſe decet, *Gen.* XX. 15. 1. *Cor.* XI. 10. adeoque pudibundas, ne ſuam formam alienis viris proſtituant. Velatio ergo eſt ejus, qui timet, erubeſcit, quòd reatus nondum ſit ſublatus. Hinc in V. T. ad præſentiam Dei ſe contexerunt; ad ſignificandum: illum nondum veniſſe, cujus δικαιώματι *juſtitiâ* poſſint propè ad Deum in Spiritûs lætitia & retectâ facie accedere. Cidaris propterea in Aarone notavit, Chriſtum venturum ἐν μορφῇ δούλȣ ſub legem factum. Judæi hodierni, quibus eſt κάλυμμα ἐπὶ τὴν καρδίαν, imitantur veteres, & ſe adhuc in ſuis ſynagogis velant. Equidem non ignoro, *pileum* apud Romanos libertatis ſignum fuiſſe. Servi enim,

VIII. *Bractea aurea*, sive *corona Sanctitatis*, duos digitos lata, cui insculptum erat: *Sanctum Domino* (20) קֹדֶשׁ לַיהוָה, quæ ipsius cidaris parti anteriori affixa erat vittâ hyacinthinâ.

VI. His octo vestimentis usus est Summus Sacerdos in functione sua, vocanturque Rabbinis בִּגְדֵי זָהָב *vestimenta aurea*, ob pretiositatem ipsorum, respectu vestium illarum, quas induit anno semel, nempe quando intravit *die expiationis* Sanctum Sanctorum. Levit. XVI. 4. 23. Has verò posteriores vestes nominabant בִּגְדֵי לָבָן *vestimenta alba*; quæ quatuor numero sunt: 1. *Femoralia linea*. 2. *Tunica linea*. 3. *Baltheus lineus*. 4. *Cidaris linea*.

VII.

enim, qui comam alebant pro integumento capitis, libertate donati, caput pileo tegendum radebant. Hinc *Plaut. Amphit.*

Ut ego hîc hodie raso capite calvus capiam pileum.

Hinc & *Livio* aliisque solennis phrasis; *vocare ad pileum servos:* Alia tamen consuetudo, aut potius capitis obtecti mystica significatio, apud Judæos fuit.

(20) Lamina aurea, cui insculptum קֹדֶשׁ לַיהוָה *Sanctum Domino*, tria notavit: 1. Christi sanctitatem divinæ & humanæ naturæ. Heb. VII. 26. 2. Quòd Christus fuerit victima pro peccatis nostris, vid. Ex. XXVIII. 38. ut ἁγιάζων σεαυτὸν *sanctificans se ipsum* pro nobis Joh. XVII. 19. 3. Christum cum suis in fronte notandos. Hæc lamina Heb. צִיץ *flos* dicitur, & נֵזֶר *coma*. Hanc vocem Luth. Angl. Belg. coronam transtulerunt. Sed insigne Sanctitatis & distinctionis, seu separationis ad delectum, tantùm fuit lamina ista, non corona, nec totum caput cinxit, sed anteriorem frontis partem. LXX. τὸ πέταλον τὸ χρυσῶν, *folium aureum* reddunt.

Landesbibliothek Oldenburg

VII. Tempore ſecundi templi, quum illud χρίσμα & ſacrum oleum defecerat, (21) non dictus eſt Sacerdos Summus מתרבה משחה *Auctus unctione*, ſicut antea, ſed tantùm ratione veſtium ſervatarum, מתרבה בגדים *Auctus veſtibus.* *Cunæus de Rep. Hebr. l. 2. cap. 7. p. 222.*

VIII. Has 4. poſteriores veſtes Sacerdoti Summo in publico urbis geſtare minimè licebat, niſi neceſſitatis telum ipſum eò adigeret; uti fecit Simeon juſtus, qui obviam proceſſit Alexandro Magno, cultu hoc ornatus. (22) *Moſes Kots. Præcept. affirm. 173. fol. 2. col. 3.*

IX. Hoc στολισμῷ *veſtitu* adumbratur *triplex Chriſti munus*: Coronâ ſive bracteâ aureâ *Regium*; τοῖς Urim & Thummim, ut & aureis nolis, ac malogranatis *Propheticum*; per tintinnabula denotabatur ſonus doctrinæ Chriſti; per malogranata εὐωδίας

(21) Omnes Pontifices uſque ad Joſiam ſacro illo unctionis oleo delibuti fuerunt, ſed abſconditum eſt ſub illo. Vid. *Cocc. Maccoth. cap. 2. §. 6. not.* 16. 17. Sic paulatim debebant umbræ evaneſcere, ut diſcerent Iſraëlitæ eundem mox adfuturum modo præſtantiori, qui indigitatus fuit per oleum, h. e. Spiritum Sanctum.

(22) Jaddus is fuit. Occaſio hæc erat. Alexander, obſeſsa Tyro, vicinis populis delectus & commeatum imperat; Judæi, Perſico fœdere obſtricti, Macedonum amicitiam explodunt; movet infeſto animo & agmine Alexander in Judæam, cui obviam egrediuntur ſupplices Judæi, Jaddo in pontificali veſtitu præeunte, ut emolliant Regem. Rex χρηματισθεὶς κατ' ὄναρ *in ſomnio monitus*, veneratur nomen Dei laminâ exaratum, Judæiſque multâ libertate donatis, abit. Plura qui deſiderat, adeat *Joſephum lib. II. cap. 8. Juſtinum lib 36. cap. 3.*

Landesbibliothek Oldenburg

fragrantia Sanctitatis ejus. *Sacerdotale* munus exhibitum fuit duodecim nominibus tribuum Israëlis, amiculo sive τῷ Ephod & pectorali insculptis, quâ re præfiguratus fuit Christus, Deo sistens partam Ecclesiam, proque suis ovibus intercedens, quas κατ' ὄνομα novit, Joh. X. 3. (23)

X. Sacerdotes Secundani tantùm 4. sacris vestibus amiciebantur in functione sua; 1. *Femoralibus lineis*, 2. *Tunicâ lineâ*, 3. *Baltheo lineo*, & 4. *Tiarâ lineâ*. (24) *Exod.* XXVIII. 40. 42. &c.

XI. III. Differunt etiam quoad *matrimonia* & conjugia; non integrum erat *Sacerdoti Summo* sibi jungere vel *viduam*, vel *dimissam*, vel *corruptam*, sed *virginem intactam* (25) Levit. XXI. 14. Ex vidua non poterat frui *primo amore*; ex dimissa, nec *primo* nec *sincero*; ex prostibulo, nec *primo*, nec *sincero*, nec *ullo*; quos tamen amores Christus, Summi Sacerdotis ἀντίτυπος, ab Ecclesia sua requirit,

(23) Locupletiores harum rerum notas jam præmisimus. Adde hîc, quod quæ Christo applicantur, etiam ad membra ejus referre debeas semper.

(24) Differunt tiaræ filiorum Aaronis à מצנפת *cidari* sive *mitra*, pileo ipsius Aaronis; vocantur enim alio nomine מגבעות *infulæ*, tiaræ, sive rectiùs fasciæ, vittæ, διαδήματα, quibus Turcæ & Persæ se adhuc redimiunt. Concordant Luth. Belg. & Angl. Ille Hauben. Isti Mütsen. Hi *Bonnets*.

(25) Virginem debebat ducere Pontifex, ad significandum Christi sponsam esse ἀμίαντον καὶ ἄμωμον Cant IV. 7. immaculatam virginem à Mundo & Viris, κατ' ἐξοχὴν ita dictis, non vitiatam, sed cùm quoad corpus, tùm quoad spiritum impollutam.

Landesbibliothek Oldenburg

rit, exigit, expectat. Reliquis Sacerdotibus lex viduas indulget. Levit. XXI. 7.

XII. Conveniunt in sua *INITIATIONE Sacerdotes Summi & Secundani*, quoad hos ritus. 1. Requirebatur, ut utrique *sine vitio corporis* (26) essent. Levit. XXI. 17. 2. *Ut sisterentur utrique Deo* ad portam tentorii conventus. (27) Exod. XXIX. 4. 3. Utrique aquâ mundari debebant. (28) Exod. XXIX. 4. 4. Consecrabantur utrique ad offerenda Sacrificia. Exod. XXIX. 1. 5. Utrorumque

(26) Sacerdotes erant typi Christi; si verò typi debebant esse ἄσπιλοι, ὅσιοι, ἄκακοι Hebr. VII. 26. eos oportebat esse sine vitio corporis. Quid verò illa vitia corporis denotarint, quibus sacerdotes carere oportebat, vid. in libello nostro de *Imitatione J. C.*

(27) Quia sacerdotes illi erant peccatores, ἔχοντες ἀσθένειαν *habentes infirmitatem*, *Hebr.* VII. 28. sic ut deberent περὶ ἑαυτῶν προσφέρειν *pro se ipsis offerre Hebr.* V. 3. propterea non poterant accedere ad domum manufactam, in quo Deus ἐσκήνωσε *habitavit* quadantenus, ad offerendum pro populo, nisi carnali aliquâ sanctificatione idonei fierent; idcirco sistebantur Domino, ut consecrarentur. Quod testabatur infirmitatem Sacerdotum ipsorum, & quòd ipsi non essent veri Sacerdotes, qui sacrificiis suis iratum Numen placare & propriâ justitiâ mitigare possent; utpote quos ipsos oporteret priùs alîus aquâ & sanguine mundari, quàm valerent appropinquare Deo cum fiducia.

(28) Lotio illa tria significavit: I. Καθαρότητα *munditiem* veri sacerdotis. II. Nos purificari aliâ aquâ, h. e. δικαιώματι merito Christi, *Ezech.* XXXVI. 25. *Ps.* LI. 9. III. Quoad Israëlitæ adstricti fuerunt his δικαιώμασι σαρκὸς *piaculis carnis*, & baptismis Hebr. IX. 10. testati sunt, aliquid superesse, quo prohiberentur prope ad Deum accedere, h. e. reatum ipsorum nondum penitus expiatum esse actuali λύτρῳ.

Landesbibliothek Oldenburg

auricula & pollex dexter pedis (29) ac manûs, alterius arietis sanguine tingebantur. Exod. XXIX. 20.

XIII. Tempore initiationis, Sacerdotis manus certis rerum offerendarum partibus implebantur, (30) *Exod.* XXIX. 9. Ad hunc ritum collimat ceremonia; quæ obtinet in Ecclesia Christiana, ubi Episcopus ordinando Ministro Biblia tradit. Utrumque significare potest, nefas esse quempiam sibimet sumere τὴν τιμὴν, *hunc honorem, nisi vocatus sit à Deo ut Aaron*, *Heb.* V. 4. Hinc initiatio juxta genium Hebrææ linguæ vocatur *Impletio manûs.* Huic ordini contrariabantur Sacerdotes Jerobeami, qui pro lubitu *suas impleverant*

(29) Quòd illorum manus, aures, pedes, arietis sanguine tincti fuerunt, notavit tria. I. Ὑπακοὴν *obedientiam* Christi, quâ se Legi subjecit, & aures perforari passus est, Ps. XL. 7. ita ut etiam manibus suis multos sanârit, oves suas retinuerit, & pedibus suis in pagis & urbibus obambulârit benefaciens multis. II. Sanctificationem nostram, quâ membra nostra sistimus ὅπλα δικαιοσύνης τῷ Θεῷ *arma justitiæ Deo*, *Rom.* V. 13. sanguini ejus deberi. III. Omnes nostras partes, seu trinum interioris & exterioris hominis templum, h. e. *S.* Sanctorum, Sanctum, & atrium, per *caput*, per pectus cui *manus* adhærent, & per ventrem cui *pedes* annexi, significatum, sanguine Jesu purificari.

(30) Hæc manuum impletio hæc denotat: quòd Moses, imponendo ipsis aliquid ex rebus offerendis, ipsis jam plenâ potestate concesserit facultatem adolendi, offerendi, jugulandi, sanctuarium ingrediendi &c. quem mutum ritum sine dubio viva vox Mosis interpretata clariùs est. Et quòd Christus missus à Patre venerit in mundum, Heb. I. 16. sacerdotio functurus; sed cui postea omnia tradita sint (non pars quædam) in manus.

Landesbibliothek Oldenburg

verant manus, (31) 1. *Reg.* XIII. 33. h. e. ſacerdotium invaſerant. (†)

XIV. In OBITIONE MUNERIS *Sacerdos Summus differt* à reliquis Sacerdotibus. 1. Dum quotannis ſemel Sanctum Sanctorum intrabat, (32) *Levit.*

(31) Pronomen, quod hic Autor reciprocum poſuit, etiam eſſe poteſt relativum, in Sacro Textu; q. d. ejus qui voluit, manum implevit ſcil. Jerobeam.

(†) Sacerdotes, quos Jerobeam conſtituit, clariſſimè præfigurarunt falſos Apoſtolos. I. Ipſi currunt & *captant* hoc miniſterii munus & opus, ſe non inidoneos ad id reputantes; quùm ii, qui magis idonei revera ſint, id potius fugiant & detractent. *Jac.* III. 1. Et II. ſunt ex *infima plebe*, h. e. neſcii legis & Evangelii, & abſque ulla claritate ſpirituali. III. Æquo animo ferunt, veros ſacerdotes è miniſterio ejici, ut ſibi os & manus impleantur. IV. Adeòque *celſa* & *vitulos* & *idola* colunt & non Deum, utpote, à ſolo Jerobeamo, qui Cæſareopapiam & Pontificiam autoritatem rapuit, conſtituti, & non à Deo. 1. *Reg.* XII. 31. 2. *Par.* XIII. 8. 9.

(32) Sanctum Sanctorum eſt typus Eccleſiæ & cœli & intimi noſtri ſpiritûs; velum, per quod intratur, carnis & legis; eâ ruptâ Chriſtus cœlum intrat, & reſidet inter Eccleſiam triumphantem velut ἡ κιβωτός *arca*. *Hebr.* IX. 4. *Apoc.* XI. 19. Ratio, cur ſemel quotannis die *Kippurim* intrârit, ſuppeditatur ab Apoſtolo *Hebr.* IX. 7. 8. quia nondum fuit publicata via ad ſanctuarium, h. e. quòd nondum Iſraëlitæ habuerunt προσαγωγὴν *acceſſum* μετὰ παῤῥησίας *cum fiducia* ad Deum, reatu nondum abolito per corpus Chriſti. Redire in ſeſe, & in cor ſuum, inque eo regnum Dei quærere, eſt converti & reſipiſcere. Qui verò ita in iſto ſuo adyto Deum invenit gratioſum, is, relictis velis & ceremoniis Judaicis, cœleſtia ſapit, & in Sanctuarium verum penetravit, plene Deum viſurus in cœtu angelorum, rupta quùm erit caro, quæ fidelibus etiamnum impedimento eſt, ut non pro voto ſemper intrare ad Deum & in Deum poſſint.

Landesbibliothek Oldenburg

XVI.34. 2. Dedecebat Sacerdotem Summum ob mortem cognati aut consanguinei se ad mœrorem abjicere, Lev. XXI. 10. 11. vel tristitiam suam (33) testari 1. *Denudatione capitis*; 2. *Scissione vestium*, de quibus luctûs notis quidpiam dicendum erit cap. de *Sepultura*. Attamen non abs re erit annotare, quòd Talmudicorum sententia sit, licuisse Summo Sacerdoti discindere extremam vestis suæ oram, sed nefas fuisse desuper à pectore lacerare vestes, quæ sententia si stat, non sequetur necessariò, Cajapham contra Scripturam egisse lacerando vestes suas, Matth. XXVI. 65. (34)

XV.

(33) Pontifex non debebat signum externum doloris dare, etsi altâ mente repôsti: nam tacitum fovere dolorem nec vetitum erat, nec humanâ naturâ eliminari poterat. Indoluit Aaron filiis suis. Levit. X. 20. 21. Sed propterea non debebant in externum se dolorem effundere, ne videantur illi, qui ὑπόδειγμα *exemplar* esse debebant Sanctissimi Pontificis, profani, nullam spem habentes. Interim, uti Talmudici ajunt, Sacerdos magnus poterat incedere post feretrum usque ad urbis portam, verùm ita, ut iis, qui succollabant funeri, propylæo sive porticu tectis, sub dium ex ædibus processerit; illis verò ex porticu egressis eam subierit. *Cocc. Sanh. cap.* 2. §. 1. Taceo, quòd is, qui ex summis Christianis sacerdotibus est, & ita se ipsum obtulit Deo, ut per omnia vela in sacrarium intimum, & in conspectum Dei pervenerit, unusque Spiritus cum Deo factus sit, nullâ aliâ re moveatur præterquam peccato, omnium rerum jacturam subjecit voluntati cælestis patris, in quo solo & semper lætatur. At verò ubi sunt hi summi & tanti sacerdotes?

(34) Si quis blasphemaverat, reus erat mortis, & qui ipsum blasphemantem audierant, disrumpebant vestes suas.

XV. Sacerdotibus Secundanis permissum erat lugere hos sex: Patrem, matrem, filium, filiam, fratrem, sororemque virginem, Levit. XXI. 2, 3.

XVI. Conveniunt verò in functione sua Sacerdotes Summi cum Secundanis his in rebus. *I.* Utrique adolebant in altari suffitûs & holocausti. 1. Chron. VI. 49. 16. 39. 40. *II.* Utrique clangebant tubis, quarum duplex usus erat; vel adhibebantur ad imperandam profectionem castrorum, sive ad ducendum in hostes, vel ad convocandum populum eorumque principes, Num. X. *III.* Utrique mactabant victimas, 2. Chron. XXIX. 22. *IV.* Utrique erudiebant populum, (35) Mal. II. 8. *V.* Utrique statuebant de lepra, Levit. XIII. 2.

XVII.

suas. Jam ἀρχιερεὺς *Pontifex*, falsò putans Christum blasphemiam evomuisse, διέῤῥηξε τὰ ἱμάτια αὐτοῦ *discerpsit vestes suas*. Hoc factum confodit Socinianos impugnatores Deitatis Christi; nam, cur discerpsit vestes? ob blasphemiam: qualem? quòd se ita filium Dei dixerat, sicuti omnes pii sunt? neutiquam. Sed διὰ τὴν καλὴν ὁμολογίαν *ob pulcram confessionem*, quæ fuit, se esse filium Dei κατ' ἐξοχήν, & ἐν δυνάμει *in potentia*. *Rom.* 1. 4.

(35) Deus Israëlitis præposuerat Seniores & Sacerdotes; velut Deos & pædagogos, qui ipsos in typis istis & figuris & umbris erudirent; propterea dicuntur pharisæi, qui nil nisi suas traditiones intritum volebant, abstulisse τὴν κλεῖδα τῆς γνώσεως *clavem cognitionis Luc.* XI. 52. nunc in N. T. cujus πρωτέρημα *præstantior conditio* præ Veteri etiam in hoc est, quòd *Lex inscribatur fidelium cordibus*, Jer. XXXI. 33. 34. nunc, inquam, nullam cathedram suspicimus, quæ nos per κατήχησιν suam *instructionem* doceat, neque ullos Θεοὺς λεγομένους *Deos dictos*, *Col.* II. 15. Dei vicarios agnoscimus. *Clavis autem cognitionis*, quâ veræ

&

XVII. Ad meliorem ordinem tenendum, erat Sacerdoti Summo suus *suffraganeus* sive vicarius, nomine סְגָן vel סֶגֶן; qui, si quid vitii acciderat Summo Pontifici, vicē ejus obibat. *Elias Tisb.* Talis substitutus fuit *Zephania*, *Jer.* LII. 24. & talis censetur fuisse Annas, Pontificatum obtinente Cajaphâ. *Casaub. adv. Baron. pag* 242. *Jos. Scal. in prol. ad Euseb.* Hoc sensu exponunt, quomodo Annas & Cajaphas eodem anno dicantur fuisse Ἀρχιερεῖς *Pontifices Summi* (36) *Luc.* III. 2. Summus Pontifex ipsiusque vicarius haud discrepant à nostro *Episcopo* ipsiusque *suffraganeo*, *Patriarcha* Constantinopolitano, ipsiusque *Protosyncello*, vel à Romanorum

& divinæ cognitionis ταμεῖον recluditur, sunt ardentes preces, & animi βιάζοντος diligentissimus labor, Deum in corde nostro inveniendi, & cum eo apertas veritates divinas. Hanc veritates inveniendi methodum pharisæi non commendarant, sed suas scholas, suas commentationes, suas traditiones.

(36) Notum est ex historiis, Pontificatum fuisse olim Præsidum Syriæ avaris animis non exiguum pastum. Cyrenius moto Pontificiâ dignitate Joazaro Ananum sive Annam surrogavit. A Tiberio missus Valerius Gratus Annæ substituit Ismaelem, Fabii filium, huic Eleazarum, huic Simonem Camithi filium, huic postremò Cajapham, qui etiam vocatus fuit Josephus. En brevi tempore multos Pontifices. Vid. *Joseph. Antiq. lib.* XVIII. 3. & 6. Hinc ergo potior ratio exsculpi potest, cur plures dicantur ἀρχιερεῖς; nec probabile est, vicarium סְגָן venisse nomine ejus, cujus vicem interdum gessit; nam ubi Elector Palatinus in interregno Vicarius est Cæsaris per circulum Rhenanum, aliasque ditiones, non tamen vocatur Cæsar. Quando ergo fit mentio plurium ἀρχιερέων, tunc in promptu est colligere, fuisse adhuc superstites, qui isto fastigio sacro deturbati sint.

Landesbibliothek Oldenburg

norum *Centurione*, ipsiusque (†) *Optione*, qui vicem Centurionis urgente necessitate gerebat.

XVIII. Et ut æqua functio ordoque inter Sacerdotes Secundanos vigeret, Rex David ipsos omnes in XXIV. classes & turmas, totidemque dierum vices, sive ἐφημερείας, distinxit. Defunctis vitâ Nadab & Abihu superstites soli fuerunt ex filiis Aaronis *Eleazar* & *Ithamar*; sicut ergo successio Sacerdotum his duabus familiis & ramis propagata fuit, ita David suo tempore in utraque familia ratione numeri distributiones fecit. Familiam Eleazaris descripsit in XVI. classes, Ithamaris in VIII. sortibus distributione factâ. Prodiit sors prima *Jehojaribo*, secunda *Jedajæ*, tertia *Charimo*, &c. 1. Chron. XXIV. Quævis classis singulis septimanis suæ functioni in templo satisfaciebat, suscepto nomine ab iis, qui tum temporis capita familiarum erant, quod nomen deinceps semper gessit. Cujusvis classis sive ordinis caput dicebatur (*) *Summus Sacerdos istius Classis*; unde est, quòd sacra pagina loquitur de pluribus ἀρχιερεῦσι *Summis Sacerdotibus* unà coactis, Matth. XXV. 1. 3. Marc. XIV. 1.

XIX. Restat ut annotemus, quòd, quemadmodum

(†) Non abs re est, autorem gradus ministeriales, quos Ecclesia, ad mundum se componens, invito Christo adscivit, conferre cum gradibus militiæ secularis, eoque clarè indicare, Ministerium in Magisterium & Imperium versum post Apostolorum tempora.

(*) Hinc in nova N. T. versione distinctio illa notata est per Ober-Priester / und Oberst-Priester / quorum hic Sacerdotum omnium Princeps est.

Landesbibliothek Oldenburg

modum hebdomadalis functio sorte fuit definita, ita munus cujusvis Sacerdotis in specie sors describebat; nimirùm, cujus jam esset thymiamata adolere, cujus jumenta immolare, cujus lampadas parare &c. Zacharias Pater Johannis erat ἐξ ἐφημερίας, *ex vice seu classe*, *Abiæ*; *Luc.* I. 5. h. e. octavo ordine, καὶ ἔλαχε τοῦ θυμιάσαι *sorte adeptus erat munus suffiendi*, *vs.* 9.

XX. LEVITARUM (*) *munus* fuit, curam habere tabernaculi vasorumque, ea ferre, erigere, componere. (37) Levi erant tres filii, *Gerschon*, *Kahath*, & *Merari*, & juxta hæc tria nomina tres familiæ, Gerschonitarum, Kahathitarum, & Meraritarum. Custodia *Gerschonitarum* versabatur circa operimenta, tegumenta tentorii, & tapetes ocellatos atrii. Custodiæ *Kahathitarum* demandatæ fuerunt res sanctuarii, ut arca, mensa, lychnuchus, altare &c. Custodiâ *Meraritarum* asservabantur asseres tabernaculi, pessuli, columnæ, stylobatæ, & reliqua instrumenta. Num. III.

XXI. Hoc erat officium Levitarum Mosis ævo, &

(*) Levitæ typus sunt istorum vel *Christianorum* vel in iis *Doctorum*, qui saltem externa elementa sciunt & tractant, interioris hominis & sacerdotii penè ignari, Deo autem in sinceritate cordis *adhærentes*, uti ipsorum nomen dicit.

(37) Levitarum munus his speciebus coarctari non potest, siquidem etiam eorum fuit æquè ac Sacerdotum, docere populum, Mal. II. 4-6. & per χειροθεσίαν *manuum impositionem* ordinare magistros, qui jus dicebant. Es. VII. 23. 24. 25. Deut. XVII. 9. Erant autem præministri sacerdotum, uti Camilli apud Romanos.

Landesbibliothek Oldenburg

& cùm in deserto oberrarent; at occupatâ terrâ promissionis Rex David ipsorum munus immutavit, concreditâ quibusdam γαζοφυλακῇ *thesaurorum custodiâ*, 1. *Chron.* XXVI. 20. quosdam verò constituit *Moderatores*, & *Judices*; quosdam *Janitores*, *Cantantes* quosdam, 1. Chron. XXIII. 3. 4. *Musici* inter cantandum amicti erant bysso, h. e. amiculo lineo ornati, 2. Chron. V. 12. Hi *cantores* in XXIV. classes sive ordines redacti erant, 1. Chron. XXV. in totidem classes *Janitores*. 1. Chron. XXVI. Ut munia sua hebdomadatim, per sortem indicata, Sacerdotum more obirent. Præterea Mosis tempore Levitæ initiabantur *ætatis* (38) *anno vigesimo quinto*, Davidis ævo, ætatis *anno vigesimo*, 1. *Chron.* XXIII. 24. *Esra.* III. 8.

XXII.

(38) Verum quidem est, quòd Deus in V. T. de ætate Levitarum caverit l. c. sed mirum, quòd non de ætate Pontificis Summi, qui Christum referebat. Joseph. *antiquit. l.* 4. *c.* 2. nobis narrat, Corahum Mosi se opposuisse, eò quòd Aaroni Sacerdotium datum esset, quod sibi deberetur, utpote & genere & opibus & ætate potiori. Certè & Gentilibus, de ætate ineuntium munus Sacerdotale, cura fuit. Romulus ad pontificatum ante quinquagesimum ætatis annum neminem vocari permisit. Flamines ante annum ætatis quinquagesimum non fuisse ordinatos *Alex. ab Alex. l.* 6. *c.* 12. prodit. *Cicero in orat. pro domo sua* ita infit: *quæ major contumelia est, quàm venire in Sacerdotium imberbem adolescentulum*? Sed quid de ætate Pastorum sub N. T. dicendum? Sanè incautè quædam Concilia certum annorum numerum definivêre; nam & ipse Timotheus juvenis fuit, & *hominum ingenia*, uti belle loquitur Bullingerus, *non à vetustate, ut vina, æstimanda sunt, sed ab ipsa probitate & eruditione*. Vide plura ap. *Barth. Agricol.*

de

XXII. Hic notanda est libertas Ecclesiæ, quæ illi tum temporis in commutandis cæremoniis indulta fuit: munus ipsaque initiatio Levitarum, quæ facta Davidis tempore, discrepat ab institutis Mosis. Sic jacta sors (39) in electione *Matthæi*, non autem in vocatione vel *Pauli*, vel reliquorum Apostolorum. Sic nunc, quæ olim in primitiva Ecclesia obtinuerunt, obliterata sunt, ἀσπασμὸς ἐν φιλήματι ἁγίῳ. (40) *Salutatio osculo sancto*, in occursi-

de ætate ineunt. off. cap. 16. 17. Nihilominus, quemadmodum Deus isto ætatis Levitarum termino indicare voluit, homines plerumque vix ante istum terminum ad sacra, devotionemque ferri, sed velut in atrio inter gentiles vagari, sic facilè inde liquet, quàm periculosum sit, in rebus sacris, in tentationibus, inque multiplici mortis genere inexercitatos Juvenes, qui tantum loqui didicerunt, & vel saltem νεόφυτοι sunt, si non planè gentiles, multis animarum millibus tanquam Doctores & Ductores præfici.

(39) In Vet. Test. sors sæpe jacta est, I. Sam. I. 21. XIV. 42. Jos. VII. 19. Levit. XVI. 8. in Nov. Test. Act. I. 26. Et ipsis Gentibus usitatissima fuit: fiebat autem vel talis & calculis, vel tesseris, vel fabis, conjectis vel in urnam sive situlam, vel galeam. Vel scribebatur quoque nomen in schedula & mittebatur in sinum. Prov. XVI. 33. Adhibebatur autem vel in eligendo ad honores: sic Atheniensibus ἀρχαὶ κληρωτοί; vel distribuendo hæreditates; vel in damnando, ubi sortiebantur calculis atris & albis; unde modus loquendi fluxit Apoc. II. 17. ψῆφος λευκή. Dubiæ autem Gentium sortes fuerunt, temperante eas Diabolo. Hodie ad licitas olim sortes descendendum non est, sed Ecclesia uti debet donis Sp. Sancti ordinariis; nisi forsan è binis eligendis neuter alterum virtute & sanctitate præstare videatur.

(40) De hoc osculo & pluribus osculandi modis agetur *cap. 2. libri tertii.*

Landesbibliothek Oldenburg

cursionibus usurpata, & ἀγάπαι, *convivia amorem testantia*, apud Sacram Cœnam. (41)

XXIII. Insuper Levitarum *gradus* non prætermittendi sunt. Scil. I. *Initiatio* ipsorum, ubi nati unum mensem Deo sistebantur, *Num.* III. 15. II. *Consecratio*, ubi suum munus annumque vigesimum quintum ingredientes, consecrabantur χειροθεσίᾳ, *manuum impositione*, *Num.* VIII. 24. Ex eo tempore usque ad annum trigesimum, quinque annis adsuescebant paulatim obeundo muneri. Qui manus imponebant Levitis, textus ait fuisse *filios Israëlis*, *Numer.* VIII. 10. *Chazkuni* exponit hunc locum *per primogenitos Israëlis*; (42) hi erant *Ecclesia Repræsentativa*, (43) & per allusionem Ec-

D clesia

(41) Agapas accuratè describit *Tertullianus in Apologetico cap.* 39. Convivia erant à Christianis instituta Cœnâ distributâ, uti in Vet. Test. addita legimus sacrificiis convivia. Parabantur autem in templis, vel ubi cœtus conveniebat, ex collectis: ex iis Minister seu Diaconus divisit pupillis, viduis, ægrotis, egenis, vinctis & peregrinis, absentibus submittebatur. Hæc convivia dulci nomine vocantur ἀγάπαι *amores*, quo notabant, quòd cœtus fidelium convenire debeat ὁμοθυμαδὸν *unanimiter*, & habere καρδίαν καὶ ψυχὴν μίαν *unum cor & animam*, *Act. IV.* 52.

(42) De primogenitis, quorum loco Levitæ Deo consecrati sunt, dictum aliquid est in Notis ad *c.* 1. *l.* 1. Hic autem cum Autore commodè intelligas per filios Iraëlis primogenitos, qui quasi imponendo Levitis manus consentiebant in ipsorum electionem & Amen dicebant: quique eodem cap. vs. 16. memorantur primogeniti.

(43) Illud vocabulum in Babylonis Romanæ confusione labiorum genitum est, ubi unus singularis homo totius

clesia Christi vocatur ἐκκλησία πρωτοτόκων *Ecclesia primogenitorum.* (44) Tum temporis separabantur Levitæ à Sacerdotibus, hoc est, ἀφωρίζοντο, uti legunt LXX. Num. VIII. 11. Ἀφορεῖ Ἀαρὼν *separabit Aaron*, pro *agitabit*, vel *admovebit*, quod voca-

tiùs Ecclesiæ autoritatem in se derivat, sibique Ecclesiam, imò Christum repræsentanti omnem potestatem arrogat: propterea cùm Romanam πρωτοφιλίκν *dominationem* redoleat, remittimus autoribus & è regimine directivo Ecclesiæ nostræ exulare, bonum esse statuimus. Vid. *Cocc. Sum. Theol. cap. 77. §. 19. & ex eo Wittich. Theol. pacif. cap. 29. §. 300.*

(44) Rectè dicitur Apostolus Hebr. XII. 23. allusisse ad primogenitos; nam primogeniti sanctificati erant & consecrati Domino, Exod. XIII. 12. Inde omnes, Jesu Christi fratris nostri primogeniti sanguine sanctificati, dicuntur *primogeniti in cœlo scripti*, h. e. libro vitæ, ὃς προέγνω *quos prænovit.* Sed quomodo Israël accessit d. l. ad Ecclesiam primogenitorum, cùm ipse esset primogenitus, & Levitæ loco primogenitorum electi? Resp. 1. Israël erat præ omnibus gentibus λαὸς περιούσιος *populus peculiaris* à Deo electus, Exod. IV. 22. 23. Amos III. 2. gentes verò rejectæ; nunc verò in Nov. Test. ubi non est distinctio Judæorum, Græcorum, Levitarum, servorum, liberorum, marium, fœminarum, omnes jure primogenituræ gaudent, qui descripti sunt à Deo in libro vitæ; & sic omnes concapitulantur, & accedunt ad Ecclesiam primogenitorum. Imò verò Israëlitæ ipsi, etsi primogeniti generaliter vocabantur, habebantur tanquam *servi*, Gal. IV. & non gaudebant bonis filiorum N. Test. reservatorum: ergo nunc in N. Test. servi Israëlitæ accedunt ad Ecclesiam primogenitorum, qui verè suo primogenituræ jure fruuntur. 2. Omnes qui nunc fiunt veri Israëlitæ, & cum Jacobo vincunt & substernunt, ii accedunt ad concilium & Ecclesiam Patrum & omnium illorum, qui fide suâ devicerunt primitus Mundum, & sic quoque & ipsi fiunt primogeniti, respectu videlicet aliorum.

Landesbibliothek Oldenburg

vocabulum adhibetur Ministris Jesu Christi, Act. XIII. 2. Ἀφορίσατέ μοι *separate mihi Barnabam & Saulum. III. Functio*, ubi tabernaculum huc illuc ferebant, ab anno (†) trigesimo usque ad quinquagesimum, Num. IV. 3. IV. Tandem *solutio* ipsorum à gravi isto ferendi tabernaculi onere. Nihilominùs tamen tenebantur castra metari circa tentorium, cantare & arcere extraneos à tentorio, ut & erudire juniores Levitas, Episcoporum more. *Franc. Jun. Anal. expos. Num.* VIII.

XXIV. Ad hos gradus videtur Apostolus allusisse, 1. Tim. III. 13. *qui benè ministraverint, parant sibi* καλὸν βαθμὸν *bonum gradum.* Tales gradus in usu fuerunt inter virgines (45) Vestales: Triginta annos necesse erat eas manere innuptas & castas; primis decem annis discebant suæ professionis mysteria, sequentibus decem sacra perficiebant, postremis decem alias edocebant, *Dionys. Halicarn. lib.* 2.

(†) Non inutilis est illorum observatio, qui his functionis terminis indicari putant, hominem, nisi à 25. vel trigesimo ætatis anno inchoët sacris fungi, & Deum colere, vacetque ab isto μετανοήσεως & conversionis ad Deum opere usque ad quinquagesimum annum, vix tùm porrò aptum & ἔνθεον esse ad regnum sanctuariumque Dei. *Vid. not. præced.* 38.

(45) *Plutarchus* in libello; *An seni sit gerenda Respubl.* inquit: *Sicut enim Romæ Vestalibus virginibus tempus distinctum fuit, ita ut primâ ejus parte Sacra discerent, secundâ facerent, tertiâ alias docerent; Utque primùm* Mellieren, *h. e. futuram Sacerdotem; deinde* Hieren, *ut jam Sacerdotem; postremò* Parieren, *quasi defunctam Sacerdotio, vocarent.*

Landesbibliothek Oldenburg

XXV. Ab hoc manuum (46) impositionis ritu in Levitis manavit similis mos usitatus Apostolis in sacrorum ordinum inauguratione, Act. VI. 6. 1. Tim. V. 22. Notare *differentiam* χειροθεσίας *manuum impositionis*; χειροτονίας *manuum elevationis*, in signum applausûs vel suffragationis, Act. XIV. 23. & ἐκτάσεως χειρῶν *manuum extensionis*. Priores ritus adhibebantur *ordinationibus* vel *initiationibus* ordinum. Χειροθεσίαν mutuati erant ab Hebræis; χειροτονία signum erat Atheniensium, (47) quibus duo magistratus erant; κληρωτοί *sorte*

(46) *Seldenus lib. 2. de Syned. Heb. cap. 7.* probat χειροθεσίαν hanc Hebræorum durâsse ad ultimum regiminis ipsorum agonem; unde facilè concludimus, Apostolos hunc ritum in ordinandis Ecclesiæ Ministris hausisse ab ipsis Judæis, & usurpâsse, ne lividis Judæis viderentur conculcare patrios ritus. Hebræi autem, Mosen imitantes Num. XXVII. 18. manum imponebant ei, quem ad Rabbinatûs dignitatem evehebant. *Cocc. Sanh. cap. 1. §. 3. not.* 10. Quanquam autem iste ritus à Judæis ad Christianos transierit, Sacramento & Mysterio tamen non videtur carere. Nam & sacerdotes jussi manus victimis imponebant, & Patriarchæ filiis & Christus pusillis, citraque dubium transversas; id quod præprimis patet ex benedictione Jacobi. *Gen.* 47. Ex cujus circumstantiis disce, eam Ecclesiam, quæ hominibus videtur stare ad dextram Dei, participem fieri sinistræ, alteram verò, quæ ad sinistram, dextræ. Manuum certè impositio donorum divinorum largitionem notavit, & à Christo ac Apostolis non inanis perhibita est, 2. *Tim.* I. 6. Nostra verò quàm vacua sit, eheu constat.

(47) Differt χειροτονία à χειροθεσίᾳ etsi eas Pontificii cum quibusdam Patribus confundant; χειροθεσία est ordinatio, χειροτονία consensio in eam. Finis χειροθεσίας fuit, ut, ubi legi-

sorte electi, & χειροτονητοὶ ἀρχαὶ *manuum elevatione designati magistratus. Æschin. cont. Ctesiphont.* Χειρῶν ἔκτασις *manuum extensio* vocabatur interdum τὸ χειρὸς νεῦμα *nutus manus*, signum, ut multitudo linguis taveret, *Herodian. pag.* 45. Ita Paulus se excusavit ἐκτείνας τὴν χεῖρα *extensâ manu. Act.* XXVI. 1. (48)

XXVI. Alia præterea fuit sacrorum Ministrorum species, teste *Mose Kots. fol.* 211. *col.* 4. quos vocabant אַנְשֵׁי מַעֲמָד *viros stationis*, sive *stationarios*. Lex volebat offerentem aliquid, sive illud fuerit oblatio, sive victima, propriâ manu offerre Jehovæ, & *adstare*, quoad oblatio vel victima consummata fuerit. Verùm, quia totus Israël *adstare* non poterat, quùm tantam

legitima vocatio & ordinatio requireretur ad docendum, locus esse nequiret ferendis ψευδοδοξίαις venenis. Χειροτονίαις utebantur in ferendis suffragiis; sed, sicut hoc *cap. not.* 4. diximus, ritum aliquem circa rem aliquam usurpatum sortiri tandem ejus nomen, ita hic accidit; nam non credibile est plebem in electione Presbyterorum semper extulisse manus; ubi ergo hoc vocabulum occurrit in N. Test. intelligimus electionem per suffragia, Act. XIV. 23. 2. Cor. VIII. 19. sequebatur autem χειροτονίαν χειροθεσία, 1. Tim. V. 22.

(48) Mos fuit & Judæis & Gentibus manu nuere, & signum dare, præsertim ad conciliandum silentium: Act. XIX. 33. Κατασείσας τὴν χεῖρα *concutiens manum. Act.* XXI. 41. Paulus κατέσεισε τῇ χειρὶ τῷ λαῷ *concussâ manu signum dedit populo.* Ita

Ovid. 1. *Metam.*

——— *qui postquam voce manuque*
Murmura compressit, tenuere silentia cuncti

Persius Sat. 4.

——— *calidæ fecisse silentia turbæ*
Majestate manûs.

Landesbibliothek Oldenburg

multitudinem loci anguſtia excluderet, propterea, quando immolabatur pro toto populo, certi homines ad id lecti, vicem locumque populi implebant. Diviſi erant, velut Sacerdotes & Levitæ, in XXIV. claſſes ſive ordines, ut hebdomadatim miniſterium ſuum in templo exercerent. Iſta verò electio non ſoli tribui Levi alligata fuit, ſed indiſcriminatim ſumptis è toto populo. Cuivis ordini ſuus præerat *Stationum princeps* רֹאשׁ מַעֲמָד.

XXVII. Officium (†) NETHINÆORUM occupatum fuit circa ligna cædenda, & aquam hauriendam pro domo Dei: non erant Levitæ, nec Iſraëlitæ, ſed *Gibeonitæ*, quos Joſua ob ſubdolam captionem, quâ Iſraëlitarum arma eluſerant, ad hocce munus damnavit, Joſ. IX. 23. Poſtmodum dicti ſunt נְתִינִים Eſr. II. 43. à rad. נָתַן *dedit*, quaſi diceres *deditios*, quod huic ἀγγαρείᾳ *functioni* in templo dati erant. Abjecta fuit ipſorum conditio, ut patet ex Deut. XXIX. 11. *à putatore lignorum tuorum uſque ad hauſtorem aquarum tuarum.*

CAP.

(†) Quorum hominum figura *Nethinæi* fuerint, paucis diſpiciendum. Videntur referre iſtiusmodi homines plebejos, qui, quùm *gentili* animo ſint, & ſua *celſa* ſuſpicere edocti, (hoc enim *Gibeon* ſignificat) opus operatum, ut loquuntur, præſtant, inque ſolo eo deſudant, ut τὸ ἅγιον κοσμικὸν *ſanctuarium Mundanum* & externum, ornent, ſacrificium vivum verumque, & ſacerdotium ad Deum propius accedens, aliis relinquentes.

Landesbibliothek Oldenburg

CAP. VI.

De Prophetis.

I. LEgis interpretes diversis nominibus insigniti sunt. Et licèt annus & tempus, quo cujusvis nomen ortum est, antiquitate tectum sit, nec ullis monumentis pateat, concipere tamen possumus tres diversos temporis articulos & periodos, quibus nomina mutationi succubuerunt. I. Ab *Adamo* usque ad *Mosen*. II. A *Mose* usque ad *reditum* populi ex Babylone. III. Ab isto *reditu* usque ad dies *Salvatoris nostri* & deinceps.

II. In prima temporis periodo, sicut *Adamus* & *Propheta* (1) & *Sacerdos suæ* familiæ fuit, ita postmodum quivis *primogenitus* his duobus muniis præ-

(1) Eximia Adami prophetia fuit, quòd uxorem suam appellaverit חַוָּה EVAM, *matrem omnis viventis*, Gen. III. 20. Exsibilatione digna est quorundâm Rabbinorum derivatio istius vocis à rad. חִוָּה *indicavit*, *dixit*, quòd Eva adeo loquacula miscuerit sermones cum serpente. Istâ Judaici cerebri bulla, absque ullo refutationis spiritu, propriâ inanitate corruit. Hæc ergo est vera sententia προφητείας istius: Audiverat Adamus, *Semen mulieris contriturum esse caput serpentis*, atqui tale semen sine dubio debebat esse fortius serpente, h. e. Deus, אל, alias victus esset à Satana: debebat etiam nasci ex muliere, & ζωοποιεῖν *vivificare* homines in peccatis mortuos, damnato Satanâ. Adamus ergo, hoc non ignorans, Evam dixit *matrem omnis viventis*, h. e. tam vivificantis Christi, quàm vivificati miseri hominis, tam ἁγιάζοντος *sanctificantis*, quàm ἁγιαζομένου *quod sanctificatur*. Si enim innuisset meros homines, cur non æquè se patrem viventis dixisset?

fuit, simulque regimen suæ domus gessit. Quòd autem suas familias *Regum* instar moderati sint, & tanquam *Prophetæ* condocetecerint, non nisi hospitem in Sacris Literis latere potest. Sed maximum de ipsorum *Sacerdotio* dubium est. Adami Sacerdotium exinde concluditur, quòd Gen. IV.34. Abel & Cain dicantur tulisse munus suum, scil. ad Adamum, qui ipsorum nomine illud Deo offerret. (2) *Bertram Polit. Jud. c. 2. p.* 17. Sacerdotium

xisset? aut si innuisset umbratilem hanc vitam, quæ morti similior est, cur non potiùs ipsam dixisset matrem omnis morientis? Voluit ergo propheta, Semen Sanctum nasciturum non à se viro, sed à muliere; ab illo semine ἁγιάζοντα vivificandos omnes ἁγιαζομένους.

(2) Hæc ratio Sacerdotii Adami ficulnea erit, nisi alia suppeteret; nam nullibi exstat, eos munera sua tulisse ad Adamum, imò in tota descriptione oblationum illarum nulla fit mentio Adami. Forsan autor denuò vult, Adamum, in isto libertatis statu, instar *Episcopi*, Abelem instar *Diaconi*, fuisse? Quid ergo impedit, quo minùs dicamus, Adamum audito Evangelio, Gen. III. vs. 15. & fide suâ in istam promissionem declaratâ vs. 20. impulsu Spiritûs Sancti, non ex ἐθελοθρησκείᾳ, sed jussu Dei obtulisse sacrificia? vs. 21. (quorum exuvias, Deo docente, consuerit, sibique tunicas fecerit: quod notabat fideles induere Christum & ipsius morte nuditates, h. e. peccata nostra, tegi. Quando autem eodem vers. dicitur, *fecit Jehova vestes*, explicandum est, usitato modo loquendi, facere docuit; quales vestes, δέρματα αἴγεια Sancti etiam gestârunt, Heb. XI. 37. Johannes & Elias togas pilosas induti erant, (h. e. sine dubio exuvias pilis hirsutas.) Sic ergo filii Adami obtulerunt, procul dubio Adamo interprete & exemplum monstrante, sacrificia *eucharistica*, quibus Deo gratias agebant adhibitis precibus: num autem fuerint *hilastica*, quibus ederent nondum expi-

dotium primogenitorum inde conjicere licet, quòd Levitæ addicebantur altari loco primogenitorum, tanquam ipsorum λύτρον *pretium redemptionis*, *Num. III.* 41.

III. In secunda temporis periodo, etiamsi κατήχησις Legis privata solius esset patrisfamilias; publica tamen dabatur Sacerdotibus & Prophetis.

IV. In tertia periodo, quando prophetiæ siluerunt, munus exponendi Sacras Literas vulgatiori usui cessit, & Prophetarum loco, aliorum interpretum insignis multitudo succrevit, quos generali voce notare & omnes διδασκάλους *Doctores* vocare possumus, Joh. III. 10. Distinguere eos licet in I. Σοφούς Sapientes. II. Γραμματεῖς Scribas, sive *Legisperitos*. III. Συζητητάς *Disquisitores*. 1. *Cor.* I. 20. Unusquisque horum, aut quicunque *Doctor* alios donis præstantibus antevertebat, titulo RABBi condecorabatur. I. *Prophetæ*. II. *Sapientes*. III. *Legisperiti*. IV. *Disquisitores*. V. *Rabbini*.

expiati reatûs chirographum, quis vel asserat, vel neget? Qui verò in fide offerebant, ut Abel, per sua sacrificia adspiciebant Christum mactandum pro suis peccatis, suamque propriam justitiam abnegabant. Kain autem rejectus est cum suis sacrificiis, qui putabat cum Judæis (quorum in odio fratris & propriæ Justitiæ & operis operati fiducia typus, & ob hæc singula primus Hæreticus est) Deum tantilla adipe propter peccata placari posse. Hæc sacrificia neque personis, neque tempori, neque loco alligata fuerunt; unde Deus negat patribus præcepta dedisse de sacrificiis, Jer. V. 11. 22. h. e. eos adstrinxisse conditionibus certis & jugo similibus.

Landesbibliothek Oldenburg

V. I. *Prophetæ* in Sacra Scriptura variis veniunt nominibus. I. Dicuntur pro ipsis *Prophetarum libris*. *Habent Mosen & Prophetas*, *Luc. XVI.* 29. II. *Pro toto Scripturarum codice*. *Nulla Prophetia Scripturæ est propriæ interpretationis*, 2. *Petr. I.* 20. III. Illi, quibus Deus se familiari manifestatione aperuit, vocabantur *Prophetæ*. Abraham Propheta fuit, Gen. XX. 7. Mirjam Prophetissa, Exod. XV. 20. IV. Ordinarii Verbi Divini interpretes dicebantur Prophetæ; *qui accepit Prophetam in nomine Prophetæ*. (3) *Matth.* X. 41. Tandem sumuntur pro illis, qui χρηματισθέντες *divinitùs docti*, occulta mysteria, quæ omnem humanam sapientiam excedunt, eruunt. Hinc olim Prophetæ רֹאִים *Videntes*, 1. *Sam.* IX. 9. ipsorumque prophetia חָזוֹן *Visio*, vocantur, Esa. I. 1. quia Deus modo extraordinario mentem ipsorum notitiâ horum mysteriorum illuminavit. (4)

VI.

(3) Deus dedit in N.T. Prophetas, scil. qui non modo demonstrarent per Scripturas, qualis *Apollos Act.* XVIII. 25. 28. quique essent δυνατοὶ ἐν ταῖς γραφαῖς *potentes in Scripturis*, *Act.* XVIII. 24. 1. *Cor.* XIII. 2. XIV. 1. 6. 39. sed &, qui Spiritu Dei acti & inspirati, vel prædicerent futura *Act.* II. 27. 28. vel quod ipsis peculiariter revelatum esset, Ecclesiæ exponerent, 1. *Cor.* XIV. 30-32. Et hi Prophetæ, distincti ab Apostolis & Doctoribus ac pastoribus, à Christo dati dicuntur. 1. *Cor.* XII. 28. *Act.* XV. 32. *Eph.* IV. 11.

(4) Prophetis aliquid innotuit, vel per ὅραμα *visionem*, vel per insomnium, vel per signa externa, muta in oculis, vocalia in auribus, mista ex utrisque; vel per signa interna, quæ erant vel sensibilia, vel intelligibilia; quæ argutè exemplis illustrat *Cel. Spanh. Dub. Evang. Tom.* II. *Dub.* LVI. Vid. & *Cel. Burman. Synops. Th. tom.* 1. *l.* 3. *c.* 5. §. 14. qui tres modos revelationis prophetiæ statuit.

Landesbibliothek Oldenburg

VI. Tres notatu dignæ appellationes dantur prophetiæ in S. Scriptura; vocatur I. *Verbum Domini.* II. *Visio.* III. *Onus.* Primum nomen infert Dominum loquentem, sive sua mysteria denudantem; Secundum Prophetæ attentionem sive contemplationem; Tertium judicia (†) denotat, queis ille populus, adversus quem prophetia lata est, onerandus sit.

VII. Diversis in locis Auditoria & Scholæ, proseminandæ Prophetarum doctrinæ, exstructæ fuêre; horum discipuli nominabantur *Filii Prophetarum*, 2. *Reg.* VI. 1. Ad quem loquendi modum alluditur *Matth.* XI. 19. *Sapientia justificata est à filiis suis.* Hoc intuitu Propheta fert interdum nomen *Patris*: Elisa clamavit, *pater mi*, *pater mi*, 2. *Reg.* II. 12. Eodem sensu Græci nuncupant artis medicæ candidatos ἰατρῶν παῖδας, *Erasm. Ep. Dedic. Hilario præfixâ.* Targum locum 2. *Reg.* II. 12. ita exponit, ac si dictum esset, *Rabbi*, sive *magister mi*, *magister mi.* Et sanè enixâ ambitione Rabbini arri-

(†) Vix credere licet, Deum propterea verbo suo nomen מַשָּׂא *Massa* indidisse, *Zach.* IX. 1. *Jer.* XXIII. 33. ut significaret ipse, onerosam calamitatum ac pœnarum denuntiatricem esse prophetiam. Itane enim nil præter pœnas dixêre prophetæ? Ergo Illud vocabulum proprie notat *Lationem*, *gestationem*, *elationem*, *prolationem*, einen Antrag/ Fürtrag/ Aufftrag/ sive sermonem, quem prophetæ debebant *ferre* ad populum, *efferre* & *proferre.* Ultebantur Judæi voce istâ in ambiguum sensum, *Jer.* XXIII. 36-39. quia reverà improbis verbum Dei erat onus, & adhuc est onus gravissimaque sarcina, hinc & nolunt dicere cum Johanne, *præcepta ejus*, seine Belastungen/ ut Belgæ loquuntur, *non esse* onus, aut *gravia.*

arripiebant istud nomen *Patris*, unde Christus dixit *Matth.* XXIII. 9. *Non vocabitis quempiam patrem vestrum in terra.* (5)

VIII. S. Scriptura Prophetæ nomini sæpè jungit *nomen Patris ejus*, ut *Hos.* I. 1. *Hoseas filius Beeri.* Et talem Hebræi ajunt fuisse & Prophetam & filium Prophetæ. *Kimch. præf. ad Hos.* Interdum & S. Scriptura memorat nomen Prophetæ, *non vero Patris*; & talem tum dicunt fuisse Prophetam, sed non filium Prophetæ. Interdum suffigit nomini Prophetæ *nomen urbis*, in qua prophetavit; & tùm Propheta ipsis est *Propheta hujus urbis*; ubi autem supprimitur nomen urbis, tum Prophetam ex Hierosolymis deducunt.

IX. II. *Sapientes.* Licèt hic titulus generalior sit, omnibusque Doctoribus & Pastoribus communis,

(5) Deus Israëlitis, velut minorennibus liberis, præfecerat ἐπιτρόπους καὶ οἰκονόμους *tutores & curatores*, *Gal.* IV. 2. qui patrum loco honorandi sunt: Germani aptâ voce dicunt Pfleg-Vatter; quique Israëlitas κατὰ τὸ δοκοῦν αὐτοῖς ἐπαίδευον, *prout visum ipsis fuit*, *coërcuerunt*, *Hebr.* XII. 9. 10. Hi fuerunt Seniores, Sacerdotes, & Levitæ, qui ceremonias addere, & iis Israëlitas onerare poterant, Matth. XXIII. 1-4. & à quibus in Lege institui debebant Judæi; quique etiam *Patres* audiunt præcepto V. Competebat ergo illis nomen istud Patris; at Christus vetat quempiam nominare patrem in N. T. quia nulli ampliùs sunt ejusmodi παιδευταί *castigatores*, & à quibus verbum Dei petamus; nec etiam ita nominandi sunt, quasi ad ipsorum infallibilitatem provocemus, uti semper Judæi ita nominârunt & adduxerunt Patres & Sapientes suos. Ad utrumque impingunt Pontificii, omnesque illi, qui autoritatem Doctorum, & nomina humana, Lutheri, Calvini, Speneri &c. pro argumentis usurpant.

Landesbibliothek Oldenburg

nis, tamen multis annis ante παρουσίαν *adventum* noſtri Salvatoris *Phariſæi* eum vel ſibi ipſis arrogaverant, vel aucupati erant à plebecula ignorante, quæ ſtupebat ipſorum ſapientiam in inculcandis traditionibus πατροπαραδόσεις, quas ſupra Legem extollebant. (6) *Gorionid. lib. 4. cap. 20.* Inde fecerunt Phariſæis nomen, *Magiſtros Traditionum. Druſ. de trib. ſect. pag. 86.* Ejus farinæ fuit conſilium iſtud, quod dedit *Rabbi Eliëzar* ſuis diſcipulis, ut deflecterent filios ſuos à S. Scriptura, ipſoſque ponerent παρὰ τοὺς πόδας ad genua Sapientum, *Buxtorf. Recenſ. oper. Talmud. p.* 195. Inde etiam fluxit ipſorum dictum, οἱ σοφοὶ ἡμῶν δευτεροῦσι, *Sapientes noſtri traditiones docent*; quo utebantur, ſi quando

(6) Ex omnibus Hebræorum monumentis liquet, quantum tribuerint ſuæ legi orali, quam vocabant תּוֹרָה שֶׁבְּעַל פֶּה, & traditioni, ſive קַבָּלָה. Unicum addam teſtimonium ex *Cel. Cocc. Sanh. cap.* 10. §. 3. חוֹמֶר בְּדִבְרֵי סוֹפְרִים מִבְּדִבְרֵי תּוֹרָה *graviùs peccatur circa verba ſcribarum, quàm verba legis.* Quibus traditionibus, vetuſtis etiam temporibus, gloriati erant, Jer. XVIII. 18. non attendentes, ſtilum ſcribarum mentiri poſſe, Jer. VIII. 8. Mal. II. 7. 8. Has traditiones dicunt Moſen in monte Sinai à Deo accepiſſe. Hoc equidem negare non poſſumus, Moſen Senioribus & Sacerdotibus, ex quorum ore verbum Dei audire & petere debebant Iſraëlitæ, dediſſe aliquam κατήχησιν, ut juxta eam verbum Dei tractarent; ſed illi ſine dubio poſtmodum non tantum ſuis hallucinationibus praviſque additamentis omnem ſobriam expoſitionem adulterârunt, ut patet ex locis citatis, ſed & ad ea ſola auditores remiſerunt, unde dicuntur *clavem cognitionis abſtuliſſe, Luc. XI. 52. Vid. cap. V. not. 35.*

Landesbibliothek Oldenburg

quando Doctorum quis erudiebat. *Hieron. ad Algas. quæst.* 10.

X. Æqualem ambitionem notare possumus in Græcis, qui omnes inhiabant titulo σοφῶ *sapientis*. Hinc factum, ut, ubi cujusdam oratio fuerat ad palatum circumfusæ multitudinis, applauderetur ipsi, σοφῶς, *sapienter dictum*; usque dum Pythagoras tædio turgidi illius tituli se mallet appellare (†) φιλόσοφον *sapientiæ studiosum*. Quam humilitatem postmodum imitati Hebræorum Magistri, ut suspicionem ambitionis averruncarent, supersederunt nomine חֲכָמִים *sapientum*, contenti se nuncupare תַּלְמִידֵי חֲכָמִים *discipulos sapientum*.

XI. III. *Scribæ* γραμματεῖς סֹפְרִים. Hoc nomen tribuitur duobus hominum generibus, vel puris *Laïcis*, vel *Ecclesiasticis*. (7)

XII.

(†) Pari modo, ut *Zacharias Ursinus*, autor sive scriptor catechesews Heidelbergensis, vir alioquin, uti constat, è Doctissimis, noluit se dicere *Theologum* (quùm hic titulus Divi sit Johannis, è sinu Jesu Dei verba haurientis, doceatque, eum, qui hoc titulo emicet, θεοδίδακτον esse) sed se appellavit *Theologiæ Studiosum*.

(7) Horum γραμματέων & νομικῶν *Scribarum* sive *Legisperitorum* originem Hebræi arcessunt à promulgatione legis, quùm tum describendis codicibus Scribæ requirebantur; alii à tempore Davidis, 1. Chron. XXIV. deducunt, alii à diebus Josaphati, 2. Chron. XVII. 7-9. Alii eorum autores statuunt Hillelem & Schammai; sed potior opinio est, quæ ipsorum ortum dat Esræ, qui nuncupatur *scriba velox* סֹפֵר מָהִיר Esr. VII. 6. Neh. VIII. 1. 4. 9. 13. qui ejusmodi Librarios instituit, ut codices, quorum multam partem

XII. Laïci γραμματεῖς erant, quibus instituendi pueri minorennes mandabantur, præprimis ut ipsos literas pingere docerent; eos ἀπλῶς dicere possumus γραμματεῖς *Scribas*. Hoc officio fungebatur tribus *Simeon*. Hoc quidem sensu nomen Scribarum non occurrit in Sacris Literis, etsi originem suam inde derivarent, verbisque Divinis probarent, quæ Jacob dixit *Simeoni* & *Levi*, *Gen.* XLIX. 7. *Distribuam eos in Jacobo, & dispergam eos in Israële*: nam, quemadmodum tribus *Levi* nullam propriam hæreditatem & portionem accepit, sed passim habitabat, sparsaque inter reliquas tribus ex altari victitabat: ita tribus *Simeon* nullam propriam Rempublicam constituebat, sed dissipata per cæteras tribus alimoniam vitæque subsidia instituendis liberis parabat; *Salomon Jarchi*, *Gen.* XLIX. *Ambr. Tom.* 4. *cap.* 3. Num verò hocce officium scholasticum soli tribui isti destinatum fuerit, alii disquirant. Certus sum *Simeonitis* sorte datam esse portionem & hæreditatem. (8) *Jos.* XIX. 1. Et prophetia de dispersione ipsorum in hoc impleta esse creditur, quòd *Simeoni* hæreditas sua cessit ex hæreditate *Judæ*. *vs.* 9. Cæterùm

partem sine dubio accensæ Hierosolymæ flamma ederat, describerentur. Sed non negari potest etiam ante Esram fuisse סֹפְרִים *Scribas*, forsan autem non tam certum munus fuit, nec tantus numerus eorum, quia, quando defecit sub templo secundo Spiritus S. & prophetia, &c. tùm plus operæ dederunt literis, & describendis literis.

(8) *Simeon* loc. cit. accepit hæreditatem & portionem in hæreditate *Judæ* vers. 9. Attamen propriam Rempublicam, ut cæteræ tribus, non conficiebat, sed unà cum tribu Juda miscebatur; & in hoc, ut Autor benè ait, impletaest prophetia.

Landesbibliothek Oldenburg

terùm constat, quod si non omnes *Scribæ*, tamen hi *publici Notarii*, quorum opera usurpatur (†) in litibus, contractibus &c. ex quacunque etiam orti fuerint tribu, nuncupati sint γραμματεῖς סֹפְרִים, ad quod alludit *Ps.* XLV. 2. *Lingua mea est stilus Scribæ velocis.*

XIII. Ex horum numero censeo viros perspicaci mentis acie, electos publico (†) usui; quosdam, ut à manu consiliisque Regis essent, tanquam *Secretarii* γραμματεῖς βασιλέως, (9) 2. *Reg.* XII. 10. Tales erant *Seja*, 2. *Sam.* XX. 25. & *Saphan*, 2. *Reg.* XXII. 3. Quosdam verò, ut operam suam ferrent publicis dicasteriis & consistoriis; hi similes sunt nostris Secretariis Grammatophylacii, & dicebantur γραμματεῖς λαοῦ *Scribæ populi*, *Matth.* II. 4. 1. *Macab.* V. 42.

XIV. Hæc secunda Scribarum species pertinet ad *personas clericas*; erant enim interpretes Legis, & hinc vocati γραμματεῖς τοῦ νόμου, νομικοί, νομοδιδάσκαλοι,

(†) Quemadmodum γραμματεῖς *Literatores* 1. denotant præfigurantque eos, qui *literam* sciunt & urgent, *Spiritu autem carent*, *Jud. vs.* 19. & propterea infensissimi veritatis hostes sunt: 2. Ita & *Simeonitæ* typus sunt eorum, qui magistratum in populo gerunt, & cum Levi juncti virum & bovem triturantem amenti zelo occidunt, veluti Pilatus & Cajaphas.

(9) Benè. Et quando absolutè quispiam vocatur סֹפֵר, ut l. cit. & 2. *Reg.* XII. 11. XXV. 19. 2. *Sam.* VIII. 17. possumus intelligere aliquem Scribarum præfectum, quem hodie Protonotarium dicere amant. Talibus concredita erant publica instrumenta, archiva, annales, commentarii tum temporum, tum gestorum, tum censuum & redituum.

Landesbibliothek Oldenburg

σκαλοι, *Legisperiti*, (10) *Esr.* VII. 6. *Luc.* VII. 30. *Luc.* V. 17. Munus ipsorum fuit scribere, legere, & populo Legem Mosis exponere. (†) Nomen erat non sectæ, sed officii. Talis fuit *Esra*, *Esr.* VII. 6. ex tribu *Levi*; tales alii ex tribu *Judæ*; nam nulla tribus ab hoc munere excludebatur. *Drus. de Sect. lib.* 2. *cap.* 12. *Chald. Paraphrast.* Huic nomini tantundem pretii deputatum fuit ab Hebræis, ac (11) *Magis* à Chaldæis, *Quindecim-Viris* à Romanis,

E qui

(10) Quòd γραμματεῖς & νομικοί iidem fuerint, cuivis constat. Saltem conferatur Matth. XXII. 35. cum Marc. XII. 28. Differebant autem à Regiis Scribis; erant publici Notarii, & Legis interpretes; &, ut Autor ait, non habebant nomen Sectæ, sed Officii: nam vel Pharisæis, vel Sadducæis, vel Essæis studebant, Matth. XXII. 34. 35.

(†) Νομοδιδάσκαλοι Gesetz-Lehrer & inter Christianos quam plurimi sunt. Vid. 1. Tim. I. 6. 7. Scil. illi, qui legem & præcepta exponunt, & virtutes inculcant, quod & Philosophi fecêre, & grave onus auditoribus imponunt, id quod nec ipsimet attingunt; Exque his omnibus ζητήσεις καὶ λογομαχίας ferunt, non contenti, vel ignari, summam voluntatis Dei & præceptorum esse, *fidem*, *charitatem* & *bonam conscientiam*, *l. c. vs.* 5. quæ singula non ex lege, sed ex Deo in Christo Jesu dantur & petenda sunt.

(11) Quales fuerint *Magi* adeò decantati Græcis & Latinis, docti pars magna chori multùm inter se digladiati sunt. Judæi eos quintuplici nomine, sed in deteriorem partem inclinante, vocant. Hoc omnibus ferè placet, fuisse Philosophos, & Theologastros, cœlorum motibus, astrologiæ, aliisque naturæ vicissitudinibus intentos. *Plato in Alcib.* 1. sic ait: Persarum σοφώτατον μαγείαν διδάσκει, ἐστὶ δὲ τοῦ θεῶν θεραπεία, διδάσκει καὶ τὰ βασιλικά, h. e. *sapien-*

qui oracula Sibyllarum interpretabantur, Canonistis à cœtu Romano.

XV. Vox סֹפְרִים, quæ exponitur per *Scribas*, & *Legisperitos*, notat *calculatores*, numeratores, daturque *Masorethis*, qui computando & versus & voces & literas cujusvis libri in Sacra Scriptura consenuerunt; quod uti est insigne monumentum ipsorum perspicacitatis, ita divinæ providentiæ, quæ ita illæsas Literas Sacras custodire voluit. *August. in Psal.* XL.

XVI.

pientissimus Persarum magiam docet, quæ est Deorum cultus; docet etiam regios mores, vel artem imperandi. Hujusmodi Magi fuêre illi, qui Bethlehemum venêre ad salutandum Christum, nec non Antiquorum Ægyptiorum, Arabum, aliarumque orientis gentium Sapientes & Sacerdotes, inter quos Hiob, Jethro, Tharah Abrahæ pater, Melchisedeck, aliique sanctissimi Dei spiritu imbuti viri. Hinc quidam triplicem Magiam statuunt: *Divinam*, quâ Mens humana tantâ fide in Deum penetrat, ut, quicquid velit, ab ipso impetret, & maxima miracula præstare potis sit, qualia occurrunt Hebr. XI. Atque hanc Magiam non immeritò cum Platone & Apostolo dixeris τὴν τοῦ θεοῦ θεραπείαν. Act. XVII. 25. Hebr. III. 5. Deinde *Naturalem*, quæ est vera & à Deo infusa scientia rerum naturalium, seu motuum virtutumque in cœlis, stellis, herbis, lapidibus, qualem Salomon scivit, item rerum artificialium, qualem Bezaleel tenuit. Et ad hanc Naturalem Magiam dicunt pertinere artem Alchymisticam, h. e. scientiam viliora metalla in aurum transferendi. Cujus scientiæ veritas adeò nostrâ ætate innotuit, ut vix cordatior quisquam amplius ad cachinnos eorum erubescat, qui cuncta ad rationis suæ perbrevem trutinam explorant. Tertiò *Magiam Diabolicam*, quæ est præstigiatorum &c. de qua inferius *Lib. IV. cap.* 10. §. 9. *& not.* 3. Sed hodie vox *Magus* & *Magia* in malam partem capitur, uti *Tyrannus*, *Hæresis*, *Fur* &c. Hæc παρέργως!

Landesbibliothek Oldenburg

XVI. Quemadmodum Sapientes in suis lectionibus δευτερώσεις *traditiones* urgebant, ita νομικοὶ *Legisperiti* adhærebant verbo scripto, unde nominabantur *Textuales*, *Scripturarii*, קְרָאִים. *Drus. de 3. sect. lib. 2. cap. 13.* Huc facit, quòd & Legisperiti & Pharisæi sua in innocentem Jesum accusationum tela unà contorquerent, Matth. IX. γραμματεῖς ipsum onerabant crimine βλασφημίας vs. 3. Pharisæi ipsum damnabant, quòd ederet cum publicanis & peccatoribus vs. 11. Accusatio γραμματέων erat de transgressione Legis, Pharisæorum de contemptu traditionis. (12)

XVII. IV. *Disquisitores.* Hic disquisitor nectit allegorias, & anagogicis subtilibusque expositionibus textum excutit. Propterea talis enucleator vocabatur דַּרְשָׁן h. e. *disputator*, *inquisitor*; ipsius homilia sive explanatio מִדְרָשׁ *allegoricus commentarius*; ipsorumque Schola בֵּית הַמִּדְרָשׁ. *Vid. Thisb. in* דרש. Hi disquisitores habebantur expositores acutissimi & profundissimæ perspicacitatis; unde illud Psalmistæ, *Eunt de turma ad turmam*, *sive de robore ad robur*, huc rapiunt & applicant suo gymnasio sic; q. d. *eunt ex templo*

(12) Paulò antè dictum est, vocem סֹפְרִים γραμματέων *Scribarum* seu *Legisperitorum*, non fuisse sectæ, sed officii, & proinde eos cuilibet sectæ, vel *Sadducæis*, vel *Pharisæis*, vel *Essæis*, adhærere potuisse; & sanè constat ex loc. Matth. XXII. 34. 35. *Pharisæorum* quemdam fuisse νομικόν seu γραμματέα. Sicque planum est νομικὸς in genere non posse opponi *Pharisæis*, sed tum, quando se dederant placitis *Sadducæorum*, qui posthabebant traditiones; uti ab autore fusiùs dicetur inferiùs.

Landesbibliothek Oldenburg

ad scholam לְבֵית הַמִּדְרָשׁ. Ex inferiori ad sublimiorem scholam. *Targum. Ps.* LXXXIV. 8.

XVIII. Hinc videmus differentiam inter has tres Doctorum species apud Paulum. *Sapientes* sunt Doctores traditionum; *Legisperiti* νομικοί, Doctores textûs scripti, secundum expositionem literalem; *Disquisitores*, Doctores allegoriarum & subtilitatum abstrusarum; quas fabulosas & exsangues expositiones, quoniam ζητήσεις παρέχουσι *quæstiones & disputationes suggerunt*, Apostolus damnat, 1. Tim. I. 4. unde talis explanator vocatur συζητητής *disquisitor*, *disputator*, 1. *Cor.* I. 20. Hos tres Doctores, quorum citato loco S. Paulus meminit, Hebræi nuncupant חָכָם *sapientem*, סוֹפֵר *computantem*, *seu scribam*; דָּרְשָׁן *subtilem inquisitorem*.

CAP. VII.

De Titulo Rabbi.

I. CIrca nativitatem Christi nostri Redemptoris numerus titulorum valde crevit; (1) inter quos רַב, רַבִּי, רִבִּי, & רַבָּן, *Rabb*, *Rabbi*,

(1) Non contenti fuerunt Judæi Doctores suos Rabbinos, magistros, sapientes &c. appellare, sed insuper addiderunt cognomina; velut Scholastici Theologi dicti sæpè sunt *Resoluti*, *Mirabiles*, *Profundi*, *Subtiles*, *Seraphici*, *Angelici*, *Solennes* &c. Sic *R. Jehuda* vocatus insuper est *sapiens*, *quoties ipse vellet*, R. Meir, *Sapiens & Scriba*; R. Akiba *arca aromatum*. Unde tantus pectora ipsorum fastus

Rabbi, *Ribbi*, & *Rabban* usitatissimi, descendunt à rad. רָבַב *multiplicatus fuit*; valentque tantum ac πολυμαθέστατοι *Magistri variâ & multiplici rerum scientiâ instructi*: quod ad hos titulos, scribunt, רַבִּי *Rabbi* esse præstantius nomen, quàm רַב *Rabb*; רַבָּן *Rabban*, quam רַבִּי *Rabbi*; & *nudum nomen*, *ut Haggai*, *Zacharia*, *Maleachi*, quàm רַבָּן *Rabban*. *Aruch* in voce אבי.

II. Eadem tempestate utebantur certâ quâdam disciplinæ formâ in suis scholis. Scholaris vocabatur תַּלְמִיד *discipulus*, ratione doctrinæ; קָטָן *parvus*, ratione minorennitatis; בָּחוּר *electus*, ratione electionis in numerum discipulorum.

III. Dato profectuum suorum specimine, ubi dignus aliquo gradu inventus fuit, per χειροθεσίαν *manuum impositionem* factus est *Graduatus* חָבֵר *consors* & socius alicujus רַבִּי. Hanc χειροθεσίαν dicebant סְמִיכָה sive סְמִיכוּת, quam ceremoniam à Mose Num. XXVII. 18. hauserant: *Edixit Jehova Mosi*, *sume tecum Josuam filium Nunis*, *virum*,

fastus subegit, ut succenserent illi, qui non ipsos Rabbinos salutaret; imò ut plebejos omnes tanquam inania terræ pondera exsibilarent & despicerent. R. Jehuda Sanctus (ut exemplum fastus addam) legitur penum suum aperuisse olim, & discipulos Sapientum invitâsse; accessit autem Laicus, qui cùm rogatus esset, num operam dedisset Mischnæ, atque negâsset, nihil obtinuit; obsecrans autem, ut velut canis & corvus, quos homines alerent, etsi ne jota in literis crocitare possent, pasceretur, retulit quidpiam; verùm eo regresso gravissimè ussit animum illius Rabbi, quòd misero idiotæ succurrisset. Hæc ἐν παρόδῳ.

Landesbibliothek Oldenburg

in quo est Spiritus, וְסַמְכְתָּ אֶת יָדְךָ עָלָיו & *impone manum tuam ipsi.* Quo tempore ipsi manus imponebat Rabbi, usus est his verbis, אֲנִי סוֹמֵךְ אוֹתְךָ תְּהִיֶה סְמוּךְ id est, *Scaligero* interprete, *Ego tibi impono manum, & manus tibi imposita esto. Trihær. cap. 5. p. 26.* Vide etiam *Cunæum de Rep. Heb. lib. 1. cap. 12.* quod & ita sonare potest: *recipio te in societatem, & sis receptus.* Postmodum ubi aptus est alios docendi, (†) vocatur *Rabbi.*

IV. In *minorennitate* autem, quum ipsis nomen proprium tectum sit, patris nomen mutuatur, diciturque *Filius N.* Cùm creatur *Graduatus* per χειροθεσίαν, tum venit proprio suo nomine, scil. *N. Filius N.* Deinde ubi dignus habitus est, qui doceat, ipsi confertur (†) titulus Rabbi hoc modo: *Rabbi N. Filius*

(†) Quòd & apud Chinenses Licentiati & *Doctores Graduati*, ut ita Barbarè loquamur, creentur, & multis honoribus titulisque obruantur, constat. *Flos Eruditorum* non insolens est eis titulus. Isti autem Doctores vix quicquam aliud didicêre, quàm bellè disserere de virtutibus, & præcepta moralia dicere posse Regibus, Subditis, Heris, Servis, & Militibus; quos postremos etiam in arte militari oretenus instituunt, ipsi interea in ipsa praxi insipidissimi. Sed à nostris Doctoribus quàm multum differunt in honorum donorumque, quibus à Rege cumulantur, usu. Nam instar Principum ducentis sæpè servis & nobilibus stipati incedunt, & in itinere constituti quendam præmittunt, qui titulos Doctoris perticæ affixos prægrandibusque literis scriptos præferat. Sed meritò ridentur omnes istiusmodi Titutolorum aucupes à *Boccalini.* Primus in Christianis, qui Doctoris titulum, pileum, annulumque & gessit, & Lothario Imperatori, ut

lius N. e. g. *Maimonides* primò nuncupatus est *Ben Maimon, Filius Maimonis*; Graduatus vocatus est proprio suo nomine *Moses Ben Maimon*; tandem permissus docere, dictus est רַמְבַּם *Rambam*, per abbreviationem, quæ conflatur ex Literis Capitalibus, *Rabbi Moses Ben Maimon.* Ita *Rabbi Levi Ben Gersom*, in minorennitate solummodò appellatus est *Ben Gersom*; Deinde *Levi Ben Gerson*, tandem רַלְבַּג *Ralbag.*

V. Hæc differentia discipulorum, sociorum, & Rabbinorum patet ex dicto antiqui alicujus Rabbini; (2) *multum didici ex Rabbinis meis sive magistris, plus ex sociis, plurimum ex discipulis meis. P. Fag. in scholiis suis ad cap. 4. Pirke Aboth.*

VI. Cuivis Rabbi suos adhæsisse discipulos, & ab his, aliisque fautoribus datum esse titulum Rabbi diebus Salvatoris nostri, extra controversiam est. Judas progressus ad Christum dixit, χαῖρε Ῥαββί, *Salve Rabbi, Matth.* XXVI. 49. Ita ipsum titulo Rabbi salutârunt Johannis discipuli, *Joh.* I. 39. & quoque *Johannem, Joh.* III. 26. Sed dubito χειροθεσίαν usurpatam tum fuisse.

ut cum Justiniani corpore Juris in publicas scholas *Romæ* & *Bononiæ* introduceret, persuasit, fuit quidam Wernerus. Hinc & ipse *Laterna Juris* dictus est. Postea *Jurisconsultos Theologi* & *Medici* æmulati sunt, Papâ Juris Canonici Doctores instituente & his bacillum candidum addente, unde quidam eos *bacillarios*, non *Baccalaureos*, appellatos censent. Tandem & *Poëtæ* noluerunt esse inhonorati. Carolus IV. primum coronatum Poëtam fecit *Franc: Petrarcham*, quem Romæ per omnes plateas coronâ laureâ redimitum circumduci jussit.

(2) Rabbi *Chanina*, decantatus ille in Talmude, is fuit. Vide *Cl. Alting. Gramm. Hebr. præf.*

Landesbibliothek Oldenburg

VII. Modus disputandi in Synagogis ipsorum ita se habuit; *Philo Jud. quòd omnis probus pag. 679. Rabbini primarii* sedebant cathedris distinctis, & hæ erant πρωτοκαθεδρίαι *primi consessus*, quos Pharisæi & Legisperiti amabant, *Matth.* XXIII. 6. *Socii & Consortes* ipsorum considebant scamnis sive depressioribus subselliis; *Discipuli* planè ad pedes suorum Præceptorum. (3) Paulus educatus erat

ωδε

(3) Asserunt Judæi, discipulos à diebus Mosis usque ad ætatem R. Gamalielis stando pependisse ab ore Præceptorum suorum; ingruentibus autem à mortè hujus varii generis morbis, sessionem discipulis esse concessam. Unde in *Mischnah* dicitur, *mortuo Gamaliele honorem Legis periisse.* Hinc è nostris quidam Christum docentem sedere, circumfusam autem multitudinem stare observant. *Matth.* XIII. 1-3. *Marc.* IV. 1. *Episcopus Bambergensis* habet antiquissimum onychem, in quo exsculpta imago Christum sedentem discipulosque circumstantes docentem refert. Nec credibile est, Salvatoris nostri tempore Pharisæos turgidissimos sessionem suis discipulis indulsisse; quoniam illi Præceptoribus, h. e. sibi, tantum, quantum Deo, honorem deberi ajebant. Unde dicunt: *quisquis à Præceptore dissentit, is quasi à Deo dissentit*; quem egregium canonem exsculpunt ex *Num.* XVI. 8-11. ubi cœtus Korachi, obmurmurans Mosi & Aaroni, dicitur obmurmurâsse Deo. Unde est, quòd viri docti citatum locum *Act.* XXII. de Paulo aliter interpretantur, & vocem, ἀνατεθραμμένος *educatus*, propriè capiant, quasi vel ad fulcra lecti seu mensæ Gamalielis nutritus fuerit; demissâque humilitate fateatur, se magni illius Rabbi discipulum fuisse. Similem locutionem afferunt ex 1. *Sam.* XXV. 41. *Joh.* I. 27. Quapropter proclivius esset dicere, discipulos Judæorum planè non sedisse in ἀκροατηρίοις, nisi ipsimet affirmarent, post mortem demùm Gamalielis discipulos præceptorem circumsedisse instar coronæ, qui sederit in capite & à singulis conspici audirique potuerit. Vid. plura *in Wagens. Sota.*

Landesbibliothek Oldenburg

παρὰ τοὺς πόδας Γαμαλιήλ, *ad pedes Gamalielis. Act.* XXII. 3. & Maria considens παρὰ τοὺς πόδας τοῦ Ἰησοῦ, *audiebat ipsius verbum. Luc.* X. 39.

VIII. Dispositio quoque corporum ipsorum pro gradibus & dignitatibus variavit; *Scalig. Trib. cap.* 5. *Sc. c.* 1. *Berachoth. Rabbi* fuit יוֹשֵׁב *sedens*; *Socius* מוּטֶה, quod notat *inclinationem* in lectum vel scamnum illius, qui caput reflectit in sinum alterius, juxta morem accumbendi Antiquis usitatum; eratque quies membrorum minor quàm sessio. *Pirke Aboth. cap.* 4. *Discipulus* dicebatur מִתְאַבֵּק, *qui in arena se extendebat*; quod signum erat humilitatis discipulorum, qui se ita ad pedes suorum magistrorum abjiciebant. Hanc ceremoniam D. Paulus putatur voluisse introducere in Ecclesiam Christianam, 1. *Cor.* XIV. *Ambros. l. cit.*

IX. Ipsorum discipuli non erant ejusdem capacitatis, propterea inquiebant; quòd quidam eorum haberent *conditionem spongiæ*, alii *conditionem clepsydræ*, alii *sacci fæcinacei*, alii *cribri*; qui spongiæ similes erant, omnia, quæ audîerant, imbibebant sine judicio; qui clepsydræ, alterâ aure iis destillavit, quod alterâ hauserant; qui sacco fæcinaceo, illi effuso & emisso vino, quod captaverant, solam fæcem retinent; tandem quos cribro comparaverunt, illi sunt, qui excussis furfuribus, acere, & paleâ, probum frumentum servant.

CAP. VIII.

De Naziræis & Rechabitis.

I. IN V. T. memorantur duæ ſpecies eorum, qui *voto* obſtricti erant, רְכָבִים *RECHABITÆ Jer.* XXXV. & נְזִירִים *NAZIRÆI, Num.* VI. Vix quicquam certius invenio, quàm quod S. Scriptura de his dicit *loc. cit.* Propterea quod attinet materiam ipſorum votorum, Lectorem ad dictos textus remitto. Hîc tantùm obſervabimus differentiam NAZIRÆORUM. Primi erant *Nuncupatores*, *Voventes*, dicti à נָזַר *ſeparavit*, *ſecrevit*, *continuit*; quia ſe continebant & avertebant à tribus, 1. a *Vino*, (1) omnibusque vitis & vini γεννήμασι *progeniebus*. 2. *A novacula*, (2) quoni-

(1) Conſtitutiones Naziræorum ſine dubio aliquid ſignificârunt; cur enim iis Deus interdiceret, quæ ad lætitiam hominis & roborationem creavit, aut iis, quæ conveniunt viris? Significavit autem Naziræatus in genere, nos debere eſſe κεχωρισμένους ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν *ſeparatos à peccatis*, & *peccatoribus*; quòd verò abſtinerent vino & ſicerâ, notavit, nos non debere *inebriari vino*, *ſed impleri Spiritu*, *Eph.* V. 18. ſed σωφρονίζειν *ſobrios eſſe*, 1. *Pet.* IV. 7. ſed νήφειν *moderatè vivere*. 1. *Petr.* V. 8. 1. *Theſſ.* V. 6.

(2) Novaculâ non metebant capillos vel barbam, quod notat, nos non adeo eſſe debere curioſos in pectendis capillis, & componendo toto habitu corporis ad ſpectaculum mundi, & tantùm noſtri cauſâ (licèt & immunditiis & civilis decoris odium vitio non careat;) nam horridi & hiſpidi tum videbantur Naziræi, & contra Judææ gentis ejusque ætatis morem comam alebant, quæ credita eſt fœdare ora virorum. Num hodie comam prominen-

quoniam omnibus diebus Naziræatûs vel separationis suæ novaculam capiti non immittebant, alentes capillos suos. 3. *A pollutione* super mortuo. (3)

II. Hic Naziræatus rursus duplex fuit, vel *Naziræatus dierum* certorum, vel *Naziræatus seculi*, hoc est totius vitæ. Illius sortis fuit Paulus, & cum ipso quatuor illi, Act. XXI. 23. Hujus sortis fuêre Simson, Jud. XIII. & Johannes Baptista &c.

III. Numerus dierum Naziræatûs non expressus est à S. Scriptura, sed Hebræorum Magistri definiunt 30. dies, quòd dicatur *Num.* VI. 5. *Jehovæ sanctus erit*, יהיה, quod vocabulum, efficiens numerum 30. determinat numerum dierum, quos libera hæc separatio observare debebat. *Schindl. in pentagl.*

IV. Secunda Naziræorum species dicebatur à נצר, unde & *Nazereth* sive *Nazareth*, pagus quidam Galilææ, ubi Christus conceptus & educatus est; & de quo pago Salvator noster denominatus est *Naza-*

minentem gestare liceat, adeo Belgæ docti conflixerunt, ut fermè se invicem damnarent: quam ob rem Cæsariem *Claud. Salmasius* doctissimo libro defendere coactus est. Quanquam & hoc negari non possit, hodiernas virorum mentitas Cæsaries, quæ instar comarum fœminearum defluunt, viris Christianis dedecori esse. 1. *Cor.* XI. Coma illa insuper Naziræorum notavit, sanctitatem nostram debere in nobis quotidie proficere, & augeri.

(3) Quòd Naziræi non debuerunt mortuos vel tangere vel lugere nimis, significavit tria. 1. Mortem spiritualem esse seriò vitandam. 2. Mortuos non esse Gentili more plorandos, quasi nulla spes resurrectionis esset. 3. Cunctas afflictiones, amissiones bonorum, parentum, conjugum, mortemque ipsam æqua mente tolerandas esse.

Landesbibliothek Oldenburg

Nazarenus (4) Ναζωραῖος *Matth.* II. 23. & qui recipiebant ipsius doctrinam Ναζωραῖοι *Nazareni.*

V. Post.

(4) Variæ sententiæ etymologiam Ναζωραίου resolvunt, sed infeliciori eventu. Quidam putant Christum dictum Ναζαρένον sive Ναζωραῖον in illis libris, quos Judæorum vel socordia vel malitia aboleverit, quod falsum; alii Christum ita dictum à נָזִיר, & sic locum commorationis dedisse occasionem ejus cognomini, sed hanc derivationem, vel allusionem diversæ literæ Tzade & Sajin respuunt. Vid. *Spanh. dub. Evang. part.* 2. *dub.* 91. 94. Alii à נֵצֶר *surculus*; *Esa.* XI. 1. LX. 21. Sed Christus ob commorationem in Nazareth Ναζωραῖος dictus est, quomodo ergo in ista voce ratio nominis quærenda? Pontificii cum quibusdam Patribus malunt statuere, non quidem in Prophetis exstare, Christum vocandum Ναζωραῖον, sed Matthæum accepisse traditione orali à Majoribus, quam sententiam suis patronis relinquimus. Restant duæ verisimiliores sententiæ, quarum prior putat Christum vocatum Ναζωραῖον modo mystico, ut per id nomen notaretur ipsum verum & bonum illum esse נֵצֶר *pastorem*, qui à Jobo dicatur נֹצֵר הָאָדָם *Custos hominis*, *cap.* VII. 20. Vid. & *Esa.* XXVII. 3. XLIX. 6. Quam sententiam tuetur *Witsius Oecon. lib.* 4. *cap.* 3. §. 29. ubi ait: *Mirum est, in tanta opinionum diversitate nemini, quod sciam, ex nostris, hujus loci memoriam in mentem venisse.* Tangit tamen istam sententiam *Momma tom.* 2. *cap.* 4. §. 321. Sed hæc sententia etiam in eo laborat, quòd nomen Ναζωραίου non det occasioni habitationis in Nazareth. Posterior sententia, quæque omnium videtur verisimillima, est, quæ statuit, prophetias esse, quæ dicant, Christum, ut veram lucem, *Joban.* I. 9. videndum à populis, sedentibus in tenebris, hoc est, Galilæa gentium, in qua fuit Gennesaret & juxta eam urbem Capernaum, ubi Christus tanta miracula & saluberrimas doctrinas edidit, *Esa.* VIII. 23. IX. 1. *Gen.* XLIX. 21. ita ut dictus sit *Galilæus*;

quando

V. Postmodum exorti Sectarii, qui, sicut Samaritani ceremoniis Judaïcis infarserunt ritus Gentiles, ita Christum & Mosen, Evangelium & Legem, Baptismum & Circumcisionem conjunxerunt. *Hieron. in Es.* VIII. Idem refert *Epiph. L. 1. T. 2. Hær.* 29. De horum prima eruptione legim' *Act.* XV. 1. *Quidam descendentes ex Judæa docebant fratres dicentes: si non circumcidimini juxta ritum Mosis, non potestis salvari.* Hi Hæretici appellabantur (†) *Nazaræi*, sive

quando autem habitavit in Nazareth, tunc impleta est prophetia ipsum in Galilæa & in Zabulon & Nephthalim appariturum. Non quidem ἀυτολεξεὶ legitur in Scriptura ipsum vocitandum Nazarenum; sed dicitur in Galilæa versaturus; qui autem est *Nazarenus*, is etiam *Galilæus*, & qui in *Nazareth*, etiam in *Galilæa* est. Præterea hoc addo, sæpè in Scriptura verbum *vocare*, *vocari*, sumi pro τῷ *esse*, quod omnibus constat; quando ergo Evangelista ait Ναζωραῖος κληθήσεται, explicari potest per *Nazarenus erit*, h. e. in Galilæa educabitur, ambulabit, euangelizabit; quod impletum est. Sic occasione habitationis Christo hoc nomen impositum videmus, & simul respectum ad prophetias citatas. Nisi malis, omnes priores sententias à Spiritu prophetiæ intentas, & in habitatione Nazarethi, & affini isto nomine, evolutas & involutas fuisse.

(†) Nihil stultius est, quam ex peculiari quâvis opinione Hæresin fingere. Nec obstat *Epiphanii* autoritas, cujus fides non adeò constans, quin plurimis in locis dubia est. Si enim Petrus sua Judaizatione primos hos Nazaræos ad istam Evangelii cum lege commixtionem abduxit, ut hæretici facti sint, nonne Petrum dicere possis Autorem istius Hæreseωs? Tùm autem juxta S. Scripturæ sensum quis hæreticus est, quando cum odio & lite suum

ſive ex malitia Judæorum, quô Religioni Chriſtianæ iſtam labem adſpergerent; ſive ex eo, quòd priùs erant veri, etſi debiles & infirmi Nazaræi, h. e. Chriſtiani, abducti τῷ Ἰουδαΐζειν *Judaïzatione* Petri Antiochiæ, impellentis Gentes, ut viverent Ἰουδαϊκῶς, *Gal. II.* 14.

VI. Et propterea Eccleſia Antiochena putatur exuiſſe hoc nomen *Nazaræorum*, & aſſumpſiſſe nomen *Chriſtianorum*, ut iſtam Sectam, quæ in ipſa ebulliverat, comprimerent. *Act.* XI. 26. *Franc. Jun. parall. Lib. I. Cap. VIII.*

VII. *Symmachus* celeber ille interpres V. T. acerrimus propugnator hujus hæreſeωs fuit, ita ut ſuis ſociis tempore inſequenti nomen *Symmachianorum* dederit. *Auguſt. lib.* 19. *contr. Fauſt. cap.* 4.

VIII. Judæi, in ipſos novercali odio flagrantes, ut Samaritanos deteſtabantur, quare eos quotidie ter, precibus ſcil. matutinis, meridianis, & veſpertinis devovebant, additâ hâc orationibus ſuis clauſulâ: *maledic, Domine Nazaræis, Epiph. Lib.* I. *Tom.* 2. *Hær.* 29.

IX. Tandem (†*) fuit adhuc *alia Nazaræorum ſpecies*,

um dogma vel defendit vel obtrudit, & nolentes recipere à ſe ſeparat; atque ſic αὐτοκατάκριτος eſt, charitatem docens, non præſtans. Hinc odium & hæreſin ubivis conjungit Paulus.

(†*) *Clariſſimus Vir D. Witſius* in ſua ad Goodwinum præfatione rectè obſervat, hujus cap. inſcriptione aliquid *de Rechabitis* promitti, ſed nihil inveniri. Quem defectum idem cumulatiſſimè reſarſit elegantiſſimâ *de Rechabitis diſſertatione*, quæ huic Editioni rurſus præfigi meruit. Autor autem noſter de Rechabitis quædam delibat *Lib. I. Cap. XII. de Eſſenis* §. 19.

Landesbibliothek Oldenburg

species, qui denominati sunt à נָשַׂר *dissecare*, quòd rescinderent & rejicerent quinque libros Mosis velut Apocryphos. *Epiph. lib.* 1. *Tom.* 1. *Hær.* 18.

CAP. IX.

De Assidæis.

I. MUltum disputatum est de ASSIDÆIS, utrùm studuerint *Pharisæis*, an *Essæis*, vel alii parti. Si dignus sum meam sententiam in medium proferre, vel, ut habet Hebræorum proverbium, *caput meum sapientum capitibus addere*; hoc de Assidæis sentio.

II. Ante μετοικεσίαν βαβυλῶνος, *transportationem Babylonicam*, reperimus vocem חֲסִידִים (quæ vertitur *Assidæi*) idem denotâsse ac צַדִּיקִים *justos*, sive *bonos*: Utrique sine ulla *differentia* veniebant, opponebanturque רְשָׁעִים *improbis*.(1) Tum temporis tota Judæorum massa divisa fuit

(1) Antequam fieret Secta ex τῆς חֲסִידִים & צַדִּיקִים quisque pius *Chasid* & *Zaddik* vocatus est; tempore autem Macchabæorum illi nomine hoc venerunt, quos nec vis, nec minæ, nec promissa à vera religione avertere poterant; & tum facta est differentia, etsi antea, ut autor benè notat, non fuerit ulla διαφορά; sed in genere pii oppositi fuerint רְשָׁעִים *impiis*. Vid. 2. *Macchab.* XIV. 6. Tandem rebus Judæorum in melius vergentibus ii vocati sunt Ἀσιδαῖοι *Hasidæi*, qui sibi peculiares vitæ regulas & constitutiones præscripserunt. Vid. *Drus. l.* 1. *c.* 12. & *Hetting. Philol. c.* 1. *lib.* 1. *sect.* 5. Ex quo cernere

fuit in duas partes, חֲסִידִים *bonos*, & רְשָׁעִים *improbos*. Solutâ captivitate discernebant חֲסִידִים *bonos*, *benignos*, *à* צַדִּיקִים *justis*.

III. *Tsaddikim justi* se meditationi Scripturæ dabant; *Chasidim benigni* autem in eo toti erant, ut Scripturæ aliquid assuerent. *David Kimchi Ps.* CIII. 17. *Tsaddikim justi* omnibus Scripturæ mandatis se subjiciebant, volentes juxta ea se componere; *Chasidim boni* suâ vitæ integritate non solùm Scripturæ se satisfacere, sed plus, quàm exigeret, præstare jactabant. *Pirke Aboth. c. 5.* In conservando templo, jugulandis victimis, sustentandis egenis &c. ultra præcepta Legis evolare se, non dubitabant. Illi erant חֲסִידִים *benigni*, qui crepabant; *quod meum est, tuum est*, & *quod tuum est, tuum proprium est*. Illi erant רְשָׁעִים *improbi*, qui eructabant: *quod tuum est, meum est*, & *quod meum est, meũ proprium est*; & est plausibile, eos, qui mediâ viâ incedebant (vid. loc. cit.) dicebantque: *quod meum est, meum est, quod tuum est, tuum proprium est*, fuisse τȣ̃ς *Tsaddikim*.

IV. Ratione sanctitatis Judæi tum temporis in tres partes distinguebantur. I. רְשָׁעִים ἀσεβεῖς *Improbos*. II. צַדִּיקִים δικαίȣς *Justos*. III. חֲסִידִים *Assidæos*, quod vocabulum plerumque vertitur ὅσιοι *Sancti*, interdũ etiam ἀγαθοί *Boni*. *Assidæi*, de quibus

cernere licet, nihil tutius esse, quàm unicum schisma, quod est separatio Proborum & Improborum; quod si verò hæc cessat, oriri plerumque inter ipsos orthodoxos, ex opinionibus & nominibus, schismata. Idque semper contingere, rebus Ecclesiæ florentibus.

Landesbibliothek Oldenburg

quibus agitur 1. *Macc.* VII. 13. vocantur *à Josepho lib.* 12. *cap.* 16. ἀγαθοὶ καὶ ὅσιοι τοῦ ἔθνους. Hi supra omnes elati & (†) dilecti à populo fuêre.

V. Apostolus demonstraturus summum Jesu Christi amorem, mortui pro nobis, eum per allusionem ad hanc populi distinctionem commendat *Rom.* V. 6. 7. *Christus* ὑπὲρ ἀσεβῶν *pro impiis mortuus est. Vix enim quis* ὑπὲρ δικαίου *pro justo moriatur: nam* ὑπὲρ τοῦ ἀγαθοῦ *pro bono forsitan etiam quis mori sustineat:* quæ commendatio fit à majori, ut ajunt: quidam fortè moreretur pro aliquo ex τοῖς חֲסִידִים *bonis*, vix pro aliquo ex τοῖς צַדִּיקִים *justis*; nemo autem occumberet pro τοῖς רְשָׁעִים *impiis*; & tamen Christus mortuus est pro nobis *impiis* רְשָׁעִים, enormibus peccatoribus, hostibus. (2)

F VI.

(†) Ratio patet; nam populus magis attendit ad manum, quàm ad verba. Hinc nihil consultius dici potest, quàm quod quidam dixit; *pastores populi non tam sermocinando, quam dando se commendare Ecclesiæ debere.* Ubi enim populus videt, pastorem suum non esse φιλάργυρον, nec studere thesauris cogendis, sed saltem animarum saluti; quare eundem non impensè amet? Prima ergo pars pastoralis functionis est, esse *chasid*, & ἀγαθοποιεῖν; deinde invisere & beneficiis juvare viduas, orphanos, pauperes & abjectos; postea Divites hujus mundi minus colere, minus invisere, minus palpare; atque hoc juxta Exemplum & mandatum Christi & Apostolorum.

(2) Quidam putant, loc. cit. *Rom.* V. 6. 7. Apostolum ὑπὲρ δικαίου in gen. neut. sumpsisse, q. d. pro *re justa* vel pro *bona*, sed ex præcedenti versu & seq. ubi in mascul. dicitur, ὑπὲρ ἀσεβῶν, ὑπὲρ ἁμαρτωλῶν, patet & hic sermonem

VI. Donec hæc opera supererogatoria libere & indifferenter, non tanquam necessaria fiebant, etsi eveherentur supra simplicem legis observantiam, pestis schismatum ex partium illarum studiis exoriri nequivit; sed quùm opera illa supererogatoria regulis & canonibus inculcarentur, & quidem velut summè necessaria, tum ex τοῖς חסידים *bonis* pullulavit γέννημα *progenies* Pharisæorum; & ab iis etiam manavit (uti verisimile esse putant; *Vid. Scalig. Trib. c. 22.*) hæresis *Essæorum*; qui utrique δευτερώσεις πατροπαραδότους *traditiones non scriptas* invehebant, tanquam necessarias & ipsâ Scripturâ perfectiores sanctitatis regulas.

VII. Hâc tempestate צדיקים *Justi* studio & æstu se opponendi abrepti, non solas traditiones, sed omnem Scripturam, excepto Pentateucho Mosis, respuerunt, unde & vocabantur קראים *Karaim.* (3) Sunt, qui eos solas traditiones rejecisse

nem esse in gen. mascul. Sed quæri hîc posset, quomodo hæc argumentatio procedat, ut quis magis pro bono quàm pro justo mori sustineat? Dupliciter hîc respondetur. 1. Quia vel bonum ideo plus amat, quòd beneficiis multis sit ab eo affectus, vel quia uxori, liberis, honorique suo consultum putat mori pro bono, cujus bonitate à morte fruiturus esset. 2. Responderi & hoc potest, *vix* capi pro *non tantum.* Sic Martyres moriuntur quidem propter amorem justitiæ Dei, h. e. gloriæ, quam Deus ab ipsis jure requirere per mortem potest, sed non tantùm propter illam justitiam, sed & bonitatem Dei, quæ ipsis coronam vitæ est præbitura.

(3) Autor sub fine hujus capitis ait τὰς קראים in Sadducæos degenerâsse. Certum est, multos ex *Scribis* cum

jecisse existimant, retentis omnibus S. Scripturæ libris. Cui sententiæ si adstipulamur, nomen suum קְרָאִים *Textuales, Scripturarios*, habebunt inde, quòd à sola Scripturarum lectione penderent, omni vi traditiones debellantes.

VIII. Et tum etiam eo tempore קְרָאִים isti alieni planè fuerunt ab hæresis crimine; lapsu verò temporis, cùm ipsis *Sadok* & *Baithus* pestiferam illam doctrinam instillassent, quòd nulla ἀπόδοσις retributio bonorum operum, aut pœna malorum, vel mortuorum resurrectio futura sit, קְרָאִים illi penitûs in Sadducæos degenerârunt, adeoque in insignes Hæreticos, qui nomen de-

cum *Sadducæis* fecisse, & *Karæos* eosdem cum iis esse & nunc haberi. Utrùm verò solas traditiones, an etiam libros quosdam Sacr. Scripturæ rejecerint cap. de Sadducæis videbimus. Hodie Judæi distinguuntur in רַבָּנִים *Rabbinistas*, qui nostram Europam incolunt, quique Talmudis autoritatem parem Scripturæ faciunt, & קְרָאִים, qui in Asia & aliis terræ plagis errant, atque, ut dictum, traditiones utroque pede repellunt. Quanto odio *Rabbinistæ* ardeant in *Karæos*, hinc discere possumus, quòd nolint in matrimonium ducere filiam *Karæi*, etsi largissima dos invitet; imò quòd *Rabbinistæ* memorent, si *Christianus* & *Karæus* in eodem luto mersi essent, se corpore *Karæi* pontem straturos esse, ad eripiendum *Christianum*, quum tamen in aprico sit, quantopere depereant nos, quos מִינִים *hæreticos*, אֲחֵרִים *aliosque* vocant; quod posterius nomen omni rei detestandæ imponunt, sic ut *suem* appellent דָּבָר אַחֵר *rem aliam*. *Illustris Ludolf in dissertatione de Locustis* refert, Karæum Judæum à se hospitio exceptum, dum συγγενεῖς Francofurtenses ipsum recipere noluerint.

bent autori suo *Sadok*. Tempus, quo utriusque hæresis primum ortum & incrementum sumpsit, peculiaria capita docebunt.

CAP. X.

De Pharisæis.

I. TRes sententiæ veri similiores sunt de etymologia nominis *Pharisæi*. Quartam etymologiam, cujus autor putatur *Hieronymus Præf. in Amos.* scriptura Hebraïca refellit; Si enim Pharisæus diceretur à פָּרַץ *disrupit*, *divisit*, scriberentur Pharisæi פְּרוּצִים, non פְּרוּשִׁים (†)

II. Prima ergo trium earum sententiarum deducit à פָּרַשׁ *expandere*, *explicare*, sive propter *extensionem* & *dilatationem* suorum *phylacteriorum*, sive propter *ostentationem bonorum operum*, omnium oculis expositam; Pharisæi enim insanâ cupidine

(†) Tametsi *Pharisæi* inprimis præfigurarint clericos Papales, uti in fine hujus cap. dicetur, nihilominus in omni gente & hominum sorte *Pharisæi*, ut & *Sadducæi*, existunt; à quibus duobus Christus semper crucifigitur, etsi in se ipsos adversis. *Isti* superstitiosi & ψευδάγιοι sunt; *Hi* toti ψυχικοὶ, καὶ φυσικοὶ, dediti carnis & naturæ cupiditatibus. 2. *Pet.* II. 12. Isti sunt qui (1) peculiaribus vel ceremoniis vel opinionibus vel vestibus se ab aliis separant, (2) qui dissentientes cœtu excludunt, *Joh.* IX. 13. 34. (3) qui plebejos censent ζῶα ἄλογα & ignaros legis divinæ, *Joh.* VII. 49. (4) qui saltem externa opera legis præstant, & in iis acquiescunt, quamvis nec bonam conscientiam nec quietem animarum in iis habere possint, alieni planè à Spiritu Christi, qui utramque solus operatur, καὶ ἀναπαύει solus. *Matth.* XI.

Landesbibliothek Oldenburg

dine & siti honorem laudemque hominum venabantur.

III. Secunda sententia derivat à פָּרַשׁ *exponere*, *explanare*, quoniam eximiâ apud populum autoritate & honore vigebant, habebanturque subtilissimi *Explanatores Legis*, ita ut vocitarentur פְּרוּשִׁים, quia פּוֹרְשִׁים *expositores Legis erant. Gorionid. cap.* 22.

IV. Tertia sententia originem ex eadem radice petit, sed in conjugatione *Pihel*, ubi est *dividere*, *separare*. Hoc significatu Græcis dicebantur ἀφωρισμένοι *separati*, aut, uti nunc loquimur, *Separatistæ. Suidas.*

V. Separatio ipsorum notabilis, ratione rei ad quam, & ratione rei à qua se separabant.

VI. Separabant ergo se I. *Ad meditationem legis*, quo respectu possumus eos vocare ἀφωρισμένους εἰς τὸν νόμον *separatos ad Legem.* Ex hoc intuitu creditur Apostolus se nuncupâsse ἀφωρισμένον εἰς εὐαγγέλιον *separatum ad Evangelium* (1) *Rom.* I. 1. quum à Pharisaïsmo ad præconium Evangelii secerneretur. *Drus. de 3. sect. lib.* 2. *cap.* 2. II. Separabant seipsos, *vel potiùs prætexebant separationem, ad exactissimam vitæ sanctimoniam, & ultra vulgarem hominum sortem ascendentem*; hinc ille Pharisæus: ô *Deus! ago tibi gratias*, quòd non sum ὥσπερ οἱ λοιποὶ τῶν

 ἀνθρώ-

(1) Quando Apostolus se vocat ἀφωρισμένον, idem est, ac si diceret κλητὸν; selectus enim fuit ab utero, ut sit instrumentum Spiritus S. annuncians Evangelium. *Gal.* I. 15. 16. *Act.* XIII. 2. Et forsan allusit Paulus ad separationem Pharisaïsmi, in quo fuit.

ἀνθρώπων *sicut reliqui homines*, *rapaces*, *injusti*, *adulteri*, &c. (2) *Luc.* XVIII. 11. *Suidas.*

VII. Res à qua se separabant triplex est. Separabant se I. A *commercio reliqui* populi, uti pleniùs patebit in ipsorum traditionibus, unde plebem ob inscitiam vocitabant עַם הָאָרֶץ *populum terræ*, *Joh.* VII. 49. dicitur ὄχλος *turba*. (3) *Hæc turba, quæ Legem non novit*, ἐπικατάρατος *execrabilis est*. II. *Ab habitu* & cultu aliorum hominum: utebantur enim peculiaribus vestibus, quibus à vulgo dignosci

(2) Pharisaïca αἵρεσις sine dubio cæteris Sectis autoritate & doctrinâ præluxit, unde vocat eam Paulus αἵρεσιν ἀκριβεστάτην *accuratissimam hæresin*. *Act.* XXVI. 5. Sicut autem inter Philosophos Stoici saniores fuêre, ita inter Judaicas Sectas Pharisæi; quare Josephus fatetur eos Stoicis similes fuisse. Gravissimè autem Pharisæi circa propriam justitiam offenderunt, quam externâ vitæ sanctimoniâ Deo obtrudere volebant; quare error Pharisæi illius *Luc.* XVIII. non in eo fuit, quòd Deo gratias pro donis & legis illustratione diceret, vel in eo, quòd se sanctiorem publicano jactet, sed quòd putaret cœlum mereri bonis operibus, imò ceremonialibus crepundiis, lavando, phylacteriis utendo, victimas mactando &c. Quos irridet *Persius Sat.* 2.

Quidnam est? quâ tu mercede Deorum
Emeris auriculas? pulmone? & lactibus unctis?

(3) Antecedenti *cap.* 7. *not.* 1. specimen dedimus fastûs eorum, qui plebejos ipsis jumentis postponunt, imò *plebejos jumenta* vocant ex *Jer.* XXXI. 7. Verum quidem est hoc loco dici ad Christi Ecclesiam post resurrectionem & ascensionem, accessuros esse homines ψυχικούς *animales*, quique Deo & Ecclesiæ mentiantur; sed falsum est eos esse solos plebejos; nam tales ψυχικοί & talia jumenta esse possunt doctissimi. Plebejum autem seu jumentum & bardum eum vocant, qui *Scripturam solam* absque *Mischna* didicit, aut etsi eas didicerit, non tamen Sapientibus ministravit. *Wagenseilii Sota. Exc. Gen. cap.* 3. *p.* 516.

Landesbibliothek Oldenburg

dignoſci volebant. *R. David. Sophon.* I. 8. Hinc natum tritum illud: *Veſtes populi terræ, conculcatio ſunt Pharisæorum.* III. *A moribus & conſuetudinibus hujus ſeculi. Thisbites.*

VIII. Hæc hæreſis videtur ortum duxiſſe (4) ab *Antigono Sochæo*; qui quum eſſet Phariſæus, ſequebatur *Simeonem Juſtum*, viventem circa tempora Alexandri Magni, trecentis annis ante nativitatem Chriſti. Phariſæi non una è tribu prodibant, vel familia, ſed indiſcriminatim ex quavis. *Chryſoſt. Matth.* XV. *Paulus* erat *Benjamita, Hyrcanus Levita. Joſeph. lib.* 13. *c.* 18.

IX. Cuivis Sectæ ſua erant dogmata, hypotheſes, conſtitutiones, & canones, ita & Phariſæis. Meum propoſitum eſt, ſolos eos notare canones & Hypotheſes, quæ hæreſin redolent

F 4 in

(4) Riſûs materiam præbet illius Rabbi apud *Hotting. Philol. lib.* 1. *cap.* 1. *ſect.* 5. Chronologia, qui ait, Phariſæos ortos regnantibus *Tiberio Cæſare* & *Ptolomæo Ægyptio*, cujus auſpiciis Biblia à LXX. verſa dicantur. En pulcrum ſynchroniſmum inter iſtos duos! Autor eos ab *Antigono Sochæo* deducit. Alii poſt Maccabæos ortos dicunt. Quidam autem Phariſæorum hæreſin ortam opinantur, cum tribus Babylone captivæ tenerentur. Templo enim deſtructo, ceſſantibus ſacris, auditoque Danielis exemplo, qui Regis cibo potuque, ne redderetur impurus, abſtineret, multi videntur ſibi ſingulares ceremonias atque ſacra finxiſſe, ut certorum dierum jejunia, corporis macerationem, &c. quò nonnulli trahunt illud *Zach.* VII. 5. ac ſi id ipſis Deus opprobrâſſet. *Talmud Bava Batra fol.* 60. ſcribit: *primo templo diruto oriebantur multi Phariſæi in Iſraële, qui & carne & vino abſtinebant, eò quòd nil de carne guſtandum vellent, priuſquam quid de ea ſacrum factum in altari fuerit, nec de vino hauſtum, priuſquam quid de eo in altari fuerit libatum.*

in hac aliisque Sectis, tùm quæ Sectarios hos ab aliis distinguunt.

X. *Primò* Pharisæi aliquas res *Fato* subjiciebant, aliquas *libero* hominis *arbitrio*. *Joseph. lib.* 13. *c.* 8. 9. *Secundò* confitentur esse *Angelos* & *Spiritus*. *Act.* XXIII. 8. *Tertiò* credunt mortuorum resurrectionem, docentque animas improborum denatorum extemplò migrare ad æternos cruciatus; animas autem piorum statim ab excessu Pythagoricâ μετεμψυχώσει in aliorum piorum corpora transfundi. *Joseph. de bello Jud. lib.* 2. *cap.* 12. Hæc ratio putatur, cur tam diversam de Salvatore nostro opinionem foverint: quidam censebant ipsum esse *Johannem Baptistam*, alii *Eliam*, alii *Jeremiam*, (5) *Matth.* XVI. 14. quasi Christi corpori anima

(5) Ejusdem sententiæ fuisse Herodem, quidam putant; qui cùm audisset, quantis Christus miraculis clarescceret, dixit Johannem eum esse; quasi Johannis anima, mandato terræ corpore, in aliud, nempe Christi, corpus transiisset. Hanc autem doctrinam forsan è libris Græcorum fuxerunt Judæi, qui tum temporis etiam in Scholas suas nomina Philosophorum introduxerant. Nisi cum *Helmontio* aliisque dicere malimus, Pythagoram hoc dogma à Judæis & Ægyptiis, apud quos fuit, hausisse. *Matth.* XVI. 14. *vide cap. XII. not.* 2. *Pythagoras* autem primus τ μετεμψυχώσεως autor apud Græcos fuit, finxitque se fuisse Mercurii filium *Æthalidem*, & impetrâsse à patre omnium rerum, quæ & in vita & in morte acciderent, memoriam; hinc se nec latere ea, quæ aliis mors tegit: Deinde ajebat se fuisse Euphorbum, de quo ita *Ovid. l.* 15. *Met.*

Ipse ego, (nam memini) Trojani tempore belli,
Panchoides Euphorbus eram.

Deinde se fuisse dixit *Hermotimum*, postea *Delium* piscatorem, *Pyrrhum*, & ex eo *Pythagoram*. Quem festivè ridet *Lucianus dial. Galli & Mycelli.*

Landesbibliothek Oldenburg

anima vel Johannis, vel Eliæ, vel Jeremiæ vitam afflâsset. *Scal. Tribær. lib. 2. cap. 3.* item *Drus. in Præter.* *Quartò* mordicùs tenebant παραδόσεις *traditiones* Antiquorum.

XI. Ut meliùs intelligantur ipsorum dogmata, sciendum est, Judæos dicere, quòd Lex duplex sit, scripta, quam appellant תּוֹרָה שֶׁבִּכְתָב *Legem scriptam*; & πατροπαράδοτος *à patribus tradita*, quam vocant תּוֹרָה שֶׁבְּעַל פֶּה; & utramque Mosi datam in monte Sinai; legemque oralem fuisse κατήχησιν *instructionem* & commentarium legis scriptæ, dicunt, quam Moses postea ore tenus Josuæ tradiderit, Josua Senioribus, Seniores Prophetis, Prophetæ Viris magnæ Synagogæ, qui deinde sequentibus seculis eandem propinârint. (6) *Moses Kotsens. in præf. lib. præcept.*

(6) Superiùs jam annotavimus, non penitùs negari posse, Mosen aliquam κατήχησιν *instructionem oralem* (sicut patres ante Mosen filiis suis verbum Dei ore tenus tradiderunt, usquedum Deus illud literis exscribi juberet) de obscurioribus typis, sacrificiis, ritibus, aliisque δόγμασι *placitis*, Senioribus ac Sacerdotibus insinuâsse, ut per eam populum rudem significationes ceremoniarum docere possent. Sed sine dubio illam legem oralem suis hariolationibus & expositionibus adeo obnubilarunt, ut Prophetis querelarum occasionem darent. *Jer. 8. & 14. & 23. Ezech. 13. &c.* Nam dum Synedrio potestas erat legem ponendi, decretaque condendi, quæ vocabant סְיָג תּוֹרָה *sepimentum legis*, quo populus à transgressione legis abstineretur, & quoque scriptam legem acceptâ à Mose clave reserandi; clavem istam cognitionis mole decretorum & obscurâ traditionum frigidarum nube abscon-

XII. Hæc traditio una ex primariis differentiis fuit, de quibus Sadducæi & Pharisæi conflixerunt. *Gorionid. c. 29. Pharisæi inquiebant; observemus legem, quam majores nostri nostris manibus tradiderunt, explanatam ore Sapientum, qui eam pèr traditiones acceperunt. Sadducæi autem replicabant: ne fidem demus nec aurem ullis traditionibus & κατηχήσεσι, sed attendamus ad solam legem Mosis.*

XIII. Traditiones autem, quas præprimis urgebant, hæ fuerunt. I. Non capiebant cibum χερσὶν ἀνίπτοις *illotis manibus. Cur transgrediuntur discipuli tui* τὴν παράδοσιν τῶν πρεσβυτέρων *Seniorum traditionem? non enim abluunt manus suas, quando panem edunt. Matth.* XV. 2. Hæc lotio dicitur facta esse πυγμῇ *crebrò Marc.* VII. 3. uti quidam hanc vocem transferunt, putantes eam idem significare hîc, quod

absconderunt. Duplex enim videtur fuisse *clavis cognitionis. Una* quam Moses tradidit suâ istâ catechesi orali, quæ recludebat Sanctuarii Externi mysteria & significatus; quam dicto modo perdidêre Antistites illi. *Altera*, quam Deus piis sacerdotibus & Prophetis divinâ inspiratione & illuminatione, ad preces eorundem concessit. *Num.* 24, 4. *Mal.* 2, 7. Et hanc eâdem penè ratione, inculcando scil. solas suas traditiones & additiones, sustulêre iidem. Ut autem scias, quomodo legem Dei sepiverint, dicendum est, eos sæpissimè res indifferentes vetuisse, quæ aliquam legem proximè circumstabant, ne ita facilè, objecto illo intergerino pariete, in Divinarum legum Sanctuarium impetus fieret. Unico rem exemplo illustrabo *Exod.* XX. 4. Interdictum ipsis est se incurvare coram idolo; Illi autem, si cujusdam pedi spina infixa fuit, non ibi concessere extrahere illam stando, at sedendo, ne aliàs incurvare se videretur. Plura habes in *Diss. Doct. D. Frischmuth.*

Landesbibliothek Oldenburg

quod πύκα apud *Homerum*, scil. *crebrò*, *frequenter*. Alii hanc vocem vertunt *accuratè*, *diligenter*, quod docet attentam diligentiam eorum in lavando; cum qua versione Syrus facit, qui habet בְּמִילָאוּת μετὰ σπουδῆς *diligenter*. Alii putant hoc loquendi modo alludi ad ritum istum lavandi, quo utebantur Judæi, quemque appellabant נְטִילַת יָדַיִם *elevationem manuum*. Græcum vocabulum πυγμή creditur exprimere hanc ceremoniam, *quoniam in ista lotione summitates digitorum cum pollice conjungebant*, ita ut quævis manus speciem τῆς πυγμῆς *pugni* referret *Scalig. Tribæ. c.7.* Hæc ceremonia ita habuit. I. Manus abluebant. (7) II. Eas dicto modo complicabant. III. Eas elevabant, ita ut aqua ad cubitum delaberetur. Tandem

(7) Poterat quis eò loci redigi, ubi nulla aqua manibus lavandis suppeteret. Quid tum? non audebant impuris manibus vel precari vel cibum sumere? tum fricabant etiam manus arenâ. *Vid. Cocc. in Matth. XV. 2.* Huc facit, quod *Muhammedes* suo *Alcorano* eundem à Judæis mutuatum ritum infarciat; verba Gallica Alcorani ita habent: *Si vous ne trouvés point d' eau pour vous laver, vous mettrés la main sur le sable, & vous en essuyerés la face & les deux mains.* Aut absterserunt etiam tum manus fasciculo herbarum vel straminis, aut ligni festucâ. Absterserunt se autem ita, quando vel ventrem exonerârant, vel cibum capturi, vel preces recitaturi erant; item, quando è balneis redeunt, ungues resecant, pediculos mactant, calceos exuunt, concumbunt, mortuumque tangunt. Ubi verò potuerunt participes fieri aquæ, tum nefas fuit, aquâ manus mundare, quam vel color genuinus deseruerit, vel bestiæ renuant, vel usus aliorum corruperit; vel quam atramentum, gummi, vel aliud quid adulterarit.

Tandem remissis rursus manibus, aqua humum defluebat. Et ut abundans liquor in brachiis ascendendo & defluendo luderet, elevatis iis puram aquam affundebant, (8) demissis autem bis aquam adspergentes. *Munster in Deut.* VIII. Hanc lotionis speciem nobis videtur *Theophylactus* depingere, *in Marc.* VII. 3. ubi inquit: *Pharisæos ἕως τῶν ἀγκῶνος, cubitaliter lavare.* Tandem alii exponunt πυγμὴν per *pugnum*, *manum plicatam*, ita ut lotio fieret, pugno palmam alterius manûs defricante. *Beza in Major. annot. suis ad Marc.* VII. In summa, notat accuratam & exactam lavandi curam. (9)

XIV. Ceremonialis illa lotio elatarum demissarumque manuum satis prodit superstitionem, quam

(8) Rationem, cur manus fuerint elevandæ in ablutionibus, dat *Maimon. Hilc. Berach. cap.* 6. §. 16. ubi dicit: *Principio, dum quis lavat, manus attollere debet, ne aquæ carpum supergressæ remeent, manusque denuò collutulent. Quando autem secundæ aquæ affunduntur, manus demitti oportet, ut omnis liquor defluat.* In primæ ergo aquæ affusione manus supra carpum lavari non debuerunt, ubi verò id factum, aquaque regressa est, manus illota, h. e. impura, reputata est. Vid. plura congerentem de his ludicris lotionibus *Cl. Pocoke in notis miscell. ad portam Mosis cap.* 9.

(9) Constat satis, eos se ad cubitum lavisse, quæ pars manûs vocatur etiam πυγμή, quoniam eâ οἱ πύκται *cæstu confligentes* utuntur. Unde quoque πυγμαῖοι *pumiliones* à cubitali statura dicuntur. Quæ sententia ob id probabilis est, quia cubitalis lotio ab omnibus ferè recipitur. De sententiis pluribus ad vocem πυγμῆς vid. eundem autorem *pag.* 357. *loc. cit. & Ven. Heidan. l.* 8. *c.* 3. *de orig. err.*

Landesbibliothek Oldenburg

quam solam vellicat reprehensio dicta apud Marcum; etsi omnes istiusmodi lotiones superstitione non carerent, quòd eas non ponerent inter honestos civilesque ritus, sed ad religionem pertinere crederent, βαπτίζεσθαι πρὸ ἀρίστου *se lavare ante prandium*, aut ἐσθίειν τὸν ἄρτον χερσὶν ἀνίπτοις *sumere cibum illotis manibus*; imo quod tantam earum lotionũ assererent necessitatem, ut si homo acceptâ aquâ manus simul abluere, sitimq; restinguere ob paucitatem non posset, etsi contabesceret siccitate, non tamen anhelanti gutturi, sed purgandis manibus eam affundere deberet. (10) *Drus. præter. Matth.* XV. *in addend. & Buxtorf. Synag. Jud. c. 9. p. 39. ex Talmude.* Quin & cibum capere ἀνίπτοις χερσί tantum crimen, ac ipsam fornicationem, judicabant. (11)

XV.

(10) Habemus historiam de R. *Akiba*, qui quum carceri esset mancipatus, famulusque ei quotidie aquam afferret; aliquando autem minus quàm satis erat, quæsivit ex famulo causam; is regessit, custodem partem effudisse, ne muros carceris liquaret; tum R. *Akiba* potiùs manus lavare, & voluntariâ morte occumbere maluit, quàm sitim sedare, ne statuta Sapientum rescinderet.

(11) Judæi cuderunt canonem hunc: *quisquis panem comedit illotis manibus, eodem habendus loco, ac si cum scorto misceretur.* Multi autem hîc exceptionem admittunt, dicentes, eos ad lotionem istam non adeo adstringi, qui castra sequuntur; aut quos difficultas loci omni aquâ destituat; aut etiam eos, qui tantum aquæ modò consequi possint, quâ aridæ gulæ medeantur. Unde inquiunt, *Akibam* ex abundanti religione (cur non superstitione? nam abundans religio est superstitio;) fecisse istud, quod jam jam priori notâ diximus.

Landesbibliothek Oldenburg

XV. I. Etsi autem hæc traditio lotionum acerrimè à Pharisæis inculcaretur, attamen isti ritui Judæi omnes obediebant, ut constat ex locis citatis. Possumus autem tres lotionum species Judæis usitatas observare. 1. *Pharisaïcam* & superstitiosam, quæ reprehensa est. 2. *Ordinariam*, quam externa morum honestas admittit. 3. *Significativam*, quæ nota erat innocentiæ, mandata Senioribus proximæ urbis, in causa ignoti homicidii. *Deut.* XXVI. 6. Ita se lavit *Pilatus Matth.* XXVII. 24. & ad eamdem lotionem allusit David *Psal.* XXVI. 6. *Lavo in innocentia palmas meas*, (12) *& circa tuum altare versor, Jehova.*

XVI. II. *Cùm redibant ex foro, manus lavabant. Marc.* VII. 4. Ratio fuit, quia, quum ibidem cum variis hominum generibus commercium habuissent, facilè pollui potuerant. Verbum, quo utitur *Marcus*, est βαπτίζειν, quod denotat *totius corporis* ῥαντισμὸν *mundationem.* Videntur etiam Pharisæi, utpote quos major superstitionis zelus quàm alios

(12) Rabbi quidam apud *Wagenseilium p.* 29. ex hoc loco concludit, manus stramine, ligno, aliaque re abstergi posse, quoniam David eas lavit *in innocentia*, quæ non sit aqua. Rabbinis dignus syllogismus! David loquitur metaphoricè, sicut *Ps. L.* 14. *Sacrifica Deo laudem.* Alludit verò David ad ritum illum Exod. XXX. 19. ubi Sacerdotes, ad altare accessuri, priùs manus lavant. Quod notat nostras preces, quas fundimus ad altare, Jesum Christum Heb. XIII. 10. fore ipsius intercessione sanctas, puras; & ea θυμιάματα, quæ in hoc altari adolemus, fore Deo εὐωδίαν *fragrantiam*; & quod sine sanctificatione & munditie cordis non possimus accedere ad Deum, aut sacrificia grata offerre.

Landesbibliothek Oldenburg

alios agitabat, sic se lavisse πρὸ τοῦ ἀρίστου *ante prandium. Pharisæus miratus est quòd Christus non ante prandium* ἐβαπτίσθη *lotus esset. Luc.* XI. 38. Ad hanc superstitionem Petrus inclinâsse creditur, dicens: *non solùm pedes meos, sed & manus & caput. Joh.* XIII. 9. Is, cùm civilem suam modestiam lædi crederet, si lavandos pedes Magistro suo permitteret, ad alterum extremum deinde relabitur; q. d. *non solos pedes, sed totum corpus.* Hæc superstitio genuit Sectam *Hemerobaptistarum*, sic dictorum, quòd quotidie ita suas lotiones & baptismos iterarent. *Epiph. l.* I. *tom.* I. *c.* 17.

XVII. III. *Eluebant suà pocula, sextarios,* (13) *æramenta, & lectos. Marc.* VII. 4.

XVIII. IV. *Illicitum putabant edere cum peccatoribus. Matth.* IX. 11. Imò censebant (14) esse pollutionis

(13) Loca, queis stabiliunt suam sententiam in eluendis vasis, sunt *Levit.* XI. 32. 33. *Num.* XXXI. 22. 23. Sic illud peculiare mandatum ad vasa omnia & supellectilem trahunt. Vid. de hac anili fide *Buxtorf. Syn. Jud.* & penè iisdem verbis *Pocoke port. Mos. cap.* 9. Mandatum verò illud docebat, *nos vas nostrum oportere* κτᾶσθαι ἐν ἁγιασμῷ καὶ τιμῇ, I. *Thess.* 4. 4.

(14) Impium erat, quòd Pharisæi nullum planè vellent habere commercium cum peccatoribus enormibus; verum est, *non edendum cum illis*, ut Apostolus monet; scil. si præfractariè omnem sanam admonitionem excutiunt; ubi verò spes est, eos posse duci ad saniorem mentem, ipsis nos immiscere debemus exemplo Christi. Aliud erat, quod Judæis ἀθέμιτον *illicitum* esset, κολλᾶσθαι ἢ προσέρχεσθαι ἀλλοφύλῳ *adhærere vel appropinquare peregrino; Act.* X. 28. Non quidem absolutè nefas erat Judæo, aut divina lege prohibitum, sermonem vel commercium miscere cum præputiato, quod exemplis illustrari

tionis ſpeciem, tangi ab iiſdem. *Luc.* VII. 39. *Hic ſi eſſet propheta, nôſſet utique, quæ & qualis ſit iſta fœmina, quæ tangit ipſum; nam peccatrix eſt.* De iſtiuſmodi hominibus loquitur Propheta; *qui dicunt, accede ad te*, ſive recede, *ne appropinques mihi*, (15) ſive אַל תִּגַּשׁ בִּי *ne tangas me, nam ſanctus tibi ſum*, *Eſ.* LXV. 5. Frigidus ille ſanctitatis fervor & Samaritanis fuit, qui obvianti peregrino ogganniebant; μὴ πρόσψαυσον, *ne attingas, ne me vel leviter ſtringas. Scalig. de emend. temp. lib.* 7. *& Epiphan. Tom.* 1. *Lib.* 1. *C.* 13.

XIX. V. *Jejunabant bis in ſeptimana Luc.* XVIII. 12. nimirum, die *Lunæ* & die *Jovis. Theophyl. in Luc.* XVIII.

ſtrari poſſet; ſed nefas erat cum talibus familiariter verſari, aut incautè menſis illorum accumbere, *Deut.* XXIII. 4-7. ut Deus ſic *Gentes concluderet ſub peccatum*, & *poneret* ἔχθραν *inimicitiam inter Iſraëlitas & Gentes*, & ſepiret μεσότοιχον & φραγμὸν *parietem intergerinum* inter eos. *Eph.* II. 12-15. Rem autem cum Samaritanis Judæi ſine dubio in ſuperſtitioſam Gentilium averſionem verterunt.

(15) Hic locus agit de Sacrificulis ſub Pontificatu, qui ſicut Phariſæi præ plebe in eminentiori ſanctitatis gradu volunt conſtituti videri: quòd verò illi hic intelligantur, patet ex toto cap. præcipuè ex vſ. 3. & 4. ubi dicuntur *ſacrificare in hortis & lateribus coctis*, h. e. in lucis & locis vetitis, non verò ſuper altari, Jeſu Chriſto, volentes peccata ſua expiare ἐθελοθρησκείᾳ, non ſolo merito Chriſti; dicuntur quoque *ſedere in cœmeteriis vſ.* 5. ſcil. ad ſepulchra Sanctorum. Habent ſe autem ſanctiores aliis, quando plebeculæ extorquent calicem; & manus populi impuriores ducunt, quam ut panem euchariſticum, vel metallum ſacri calicis, iis contrectare liceat; ſeque linteis amiculis, tunicis hirſutis & hiſpidis, infulis, bardocucullis, aliiſque hiſtrionicis veſtibus à communi hominum ſorte ſegregant, &c.

Landesbibliothek Oldenburg

XVIII. 12. *Epiph. hær.* 16. quia Moses, uti ajunt, montem Sinai adscendit die *Jovis*, descendens die *Lunæ*. *Drus. in Luc.* XVIII. 12.

XX. VI. *Dilatabant sua phylacteria, & amplificabant suarum vestium fimbrias. Matth.* XXIII. 5. Hîc tria veniunt pensitanda; 1. Quid fuerint *phylacteria*. 2. Quid ipsis inscriptum fuerit. 3. Cur ita dicta.

XXI. *Epiphanius lib.* 1. *Tom.* 1. *c.* 15. exponit hæc phylacteria fuisse πλατέα σήματα πορφύρας *clavos purpureos vestibus intextos*. Quasi Pharisæorum vestes similes fuissent tunicis istis, queis amiciebantur Romani Senatores; nempe *laticlaviis* (*vel latis clavis*) ita dictis, quoniam erant segmentis & latis bracteis vel clavis interpuncta. Sed quum hæc phylacteria tantùm fuerint adjuncta ornamenta, quorum duo erant; alterum fronti, alterum sinistræ (16) affixum; tum claret, per phylacteria

G non

(16) Hæc phylacteria in fronte Hebr. vocantur טוטפות *ornamenta frontis*. Luth. Denckmahl. Belg. *Voorhoft-Spanselen*. Angl. *Frontlets*, *frontalia*. Num fuerit à Deo injunctum talia frontalia gestare, & talia phylacteria manui annectere, dubito. Ex nullo enim loco id elici posse mihi videtur. De *fimbriis* res clara est, quòd eæ fuerint mandatæ. Num. XV. 38. XXII. 22. Nullibi autem exstat, *annectes* טוטפות *ornamenta fronti*; sed תורה *lex erit tibi* לאות *in signum super manum*, ולזכרון *& in memoriale inter oculos tuos*. Vid. *Deut.* VI. 8. XI. 18. *Exod.* XIII. 9. 16. q. d. Lex mea erit semper in ore vestro, quam profiteamini, omnes vestras cogitationes & voluntatem juxta eam dimetiemini, imò erit regula vestrarum mannum, quæ primaria operandi instrumenta sunt, ut, sive loquamini, sive cogitetis, sive operemini, legem meam

non posse intelligi totas vestes, vel aliqua segmenta & clavos vestibus insutos. In genere putantur fuisse *schedulæ*, *tabellæ vel membranæ*, *quarum*, ut notavi, duæ fuerunt; *Phylacteria sive tabellæ vel bracteæ*, fronti annexæ, & ab una ad alteram aurem pertingentes, ligulâque ab occipite adstrictæ; (17) & *phylacteria* alligata brachio sinistro

meam respiciatis, quasi esset posita in fronte & manu vestra. Idem modus loquendi est *Cant.* VIII 6 *Apoc.* XIII, 16. Dat quoque Antichristus signum, χάραγμα, h. e. aliam à divina legem, quod recipiunt seducti in *manu* & *fronte*. Hic insuper notandum est, *phylacteria* Judæis fuisse *notam* & *monimentum precum*, unde ea vocârunt תפלין; *fimbrias* autem sive ציצית *filamenta*, *monimentum legis Dei*; quæ distinctio ex textu erui posse mihi non videtur; sed potiùs ציצית sive גדלים, *filamina* illa sola fuisse in mandatis data ut gestentur; quò sic reminiscerentur legis, &, quæ ad legem pertinent, precum.

(17) Phylacteria frontis fuerunt membranulæ inscriptæ sententias quasdam, positæ in pelle vitulina habente ædiculas quatuor; Sic ut quævis membranula peculiari cellulæ indatur. Ita autem factæ sunt istæ cellulæ. Sumunt lignum quadratum, quod tribus fissuris excavant, ut ferè literam ש fissuris suis referat: hoc lignum obducunt corio vitulino, donec corium hoc rigeat arefactum; quod si detrahitur ligno, cellulas habet quatuor, quæ inferiùs & superiùs filis seu chordis tenuissimis è vitulorum vel boum nervis (qui è calcibus eorum deprompti sunt) consuuntur. Nisi αὐτοψία accedat, res obscura est. Adspice ergo, humane Lector, 4. tuos digitos erectos absque pollice; deprehendes tres fissuras & 4. apices; jam pone eos digitos totos arctè unâ pelle constringi,

nistro supra cubitum; eâ parte, quæ spectat cor, (18) *ut eidem eò propiora essent. Moses Kotsens. præc. affirm. 22.*

XXII. Utraque hæc phylacteria & Pharisæis & Sadducæis in usu fuerunt. *Maimon. in Tephillim.*

stringi, sic ut pellis per tres fissuras ducatur, habebis formam ferè vaginæ illius phylacteriorum; quid multa? chirotheca rem exprimit, nisi quòd vagina illa fuerit juxta lignum quadrata, ejusdemque latitudinis & longitudinis. A postica parte illius vaginæ relinquendum fuit spatium sive meatus, per quem lorum phylacteriorum ducendum & ab occipite connodandum fuit. De loris his plura inferiùs. Nodus verò, quo constrictum fuit lorum, erit Lectori Gordius, nisi oculus præsentem contempletur, etsi pluribus describatur. Paucis. Judæi mysteria fingebant esse in phylacteriis suis & reperiri in iis nomen שדי. Jam ש habuimus. Nodus ergo ille ita nexus fuit, ut quaquaversum redderet τὸ ד, nempe posito quadrangulo & in eo factâ cruce, quæ ad 4. latera pertingat. Formam æri incisam vide apud *Wagenseilium cap. 2. p. 416.* aliosque. Rabbinus quidam sacram istam rem mihi ostendit & cuncta docuit.

(18) Altera phylacteria fuêre annexa brachio sinistro. Miror, *Cl. Coccejum* nostrum Lex. ad vocab. מטפורת dicere, Deum velle legem suam geri *manu dextrâ*, & Apocalypsin eâdem manu signaturam bestiæ ponere, cap. 13-16. nisi dicere velim Judæos, cùm non haberent de talibus phylacteriis præceptum, deceptos fuisse iis verbis, quæ leguntur *Deut.* VI. 6. 11. 18. *ponite verba mea* על לבבכם *super vel ad cor vestrum*; & sic eos posuisse phylacteria in manu sinistrâ velut proximâ cordi; cùm fuissent ponenda in manu dextrâ potiùs, tanquam promptiore ad operationes. Quando autem dicitur; *ponite verba mea super cordibus & animabus vestris*, tum probatur id, quod

c. 4. §. 8. Sed cum distinctione: Pharisæi ad majorem ostentationem sua phylacteria manuaria brachio supra cubitum affigunt, Sadducæi palmæ. Imò Judæi omnes talia phylacteria gestârunt, nec excepto nostro Salvatore. (19) *Scalig. Tribær. p.* 258. Mandatum enim generale fuit *Exod.* XIII. 9. *Erit tibi in signum super manu tua & in memoriale inter oculos tuos.* Sic ipse ritus gestandi phylacteria non fuit à Salvatore nostro improbatus, sed ea dilatandi, (20) quo viderentur reliquis sanctiores.

XXIII.

quod dixi Not. 16. scil. talia phylacteria propriè non fuisse mandata, ut gererentur fronte & manu, sed ut semper lex Dei in ore & actionibus haberetur. Conf. *Exod.* XIII. 9. Eodem ferè modo phylacteria manuaria consuta fuerunt, ac frontalia, nisi quod unica cellula & capsula in illorum corio esset. Nodus lori, quo hæc phylacteria manuaria adstricta sunt, ubivis repræsentat ש, ut sic emergat שדי

(19) Omnibus viris, exceptis iis, qui dysenteriâ laborant, item servis, fœminis, & ancillis phylacteria gestare licet; sed plebeji illa tantùm sumunt oraturi; siquidem tantam sanctitatem desperant, ut ea semper gestare probè queant; nam, quia laminâ aureâ Summi Sacerdotis sanctiora reputata sunt, dum in his nomen Dei vicies & ter, in ea semel, exaratum fuit, piaculare est, non semper eorum meminisse, vel è capite vel manu humum demittere, vel spiritum inferiori parte efflare, iis corpori adhærentibus. Pharisæi autem, qui sibi semper & toti sancti videbantur, nunquam non phylacteria induti erant. Vide plura ap. *Buxtorf. Synag. Jud. toto cap.* 9. Num autem Redemptor noster sanctum suum caput & manus his φυλακτηρίοις redimiverit, hæreo, propter ea, quæ Not. 17. & 18. diximus.

(20) Quæritur hic, quomodo talia *phylacteria dilatârint* Pharisæi? Resp. Tripliciter sine dubio. A. Lororum lati-

XXIII. His schedulis vel membranis inscribebant Decalogum solum, juxta sententiam *Chrysostomi & Hieronymi in Matth.* XXIII. Sed firmior ratio persuadet, eos in iis exarâsse has quatuor pericopas. 1. Prima pars inchoabat ita; *Consecra mihi omne primogenitum. Exod.* XIII. 2. ad finem vs. 10. 2. Secunda; *Et erit, quum introduxerit te Jehovah in terram Cananitarum. Exod.* XIII. 11. ad finem vs. 16. 3. Tertia ita; *Audi Israel, Jehovah Deus noster, Jehovah unus. Deut.* VI. 4. usque ad finem vs. 9. 4. Quarta sic incipiebat; *Erit itaque, si seriò auscultaveritis præceptis meis, &c. Deut.* XI. 13. ad finem vs. 21. (21)

XXIV. Has 4. partes convolutis membranulis inscriptas capiti alligaverunt & sinistræ: Eas

latitudo æquabat grani hordeacei longitudinem, sed illi latiora ea lora fecêre. B. Lori caput circumeuntis una dependens extremitas scil. ad latus dextrum, umbilicum usque defluebat, altera ad latus sinistrum, pectus attingebat. Verùm longitudo phylacteriorum manuariorum non tantùm brachium cinxit, sed & ad medium digitum excurrens, eum ter ambiit. Pharisæi autem capitis lora magis demiserunt, manumque cum aliis digitis plusquàm ter strinxerunt. C. Forsan quoque dictos nodos & coria, sive capsulas magnificabant, ut & ipsis & aliis ea statim occurrerent.

(21) Autor noster has partes posuit juxta eum ordinem, quo Occidentales legunt. Juxta verò Hebræos quarta περικοπή erit prima, scil. à dextra ad sinistram, & prima ultima. Et quando addit, usque ad finem vers. &c. inclusivè intelligi debet. *Buxtorf. Syn. Jud. cap.* 4. ait phylacteriis manuum fuisse inscriptos aliquot versus ex cap. 11. *Exod.* Alii dicunt, idem fuisse inscriptum, quod phylacteriis capitis.

ſententias, quas fronti præfixêre, in quatuor diverſis membranulis exarârunt. *Moſ. Kotſens. fol.* 104. *col.* 3. ubi verò uni membranulæ vel pelliculæ eas quatuor ſententias dabant, tum fiebat iſtud quamvis partem diſtinguente lineolâ; poſuerunt poſtea eas quatuor ſententias in pellicula, in qua erant quatuor ædiculæ, loculamenta, vel cellulæ; non autem in quatuor pelliculis; quævis cellula diſtincta erat ab aliis. Illæ verò partes, queis manum ornabant, inſcribebantur uni membranæ, diſtinguentibus eas quatuor regulis; ſin eas quatuor peculiaribus membranulis inſcriberent, deſcendenti ordine fiebat, ponebantque in una pellicula, unam cellulam habente.

XXV. Tempore perſecutionis, cùm publicè phylacteria ſua geſtare non auderent, manus ſuas rubro (22) filo cinxerunt, ut refricarent memoriam ſanguinis fœderalis. *Munſt. de præc. affirm.*

XXVI. Quod ad nomen, Moſes phylacteria vocavit טוטפות; quod vocabulum tot fermè etymologias, quot expoſitores habet. Veriſimillimum mihi videtur, ea ſic dicta fuiſſe per ἀντίφεγ-

σιν

(22) Quàm ſedulò caverint, ne color lororum in phylacteriis alius eſſet, quàm exteriore parte niger, interiore hyacinthinus (qui color ad colorem maris accedere Rabbinis dictus eſt ſuperius) vel albus, conſtat; ſic ut rubrum lorum non ſumant, ne videantur venari gratiam ſcortorum, aut dicantur lora ſua tinxiſſe conjugis ſanguine καταμηνίων; ob id miror eos tempore perſecutionis manum rubro filo circumcinxiſſe. Utrum reſpexerint ad rubrum Serachi filum *Gen.* 38. an ad funem Rachab *Joſ.* 2. me latet.

Landesbibliothek Oldenburg

σιν *locutionem à contrario*, à טִפַּף *incedere, movere*; quia erant immota; ob id vertunt LXX. ἀσάλευτα *ornamenta immobilia.* Rabbini ea vocant תְּפִלִּין, q. d. *precum monimenta.* Alii amant ea dicere, *Pittacia, & Pittaciola*, à voce πιτάκιον, quæ notat vestis partem, vel modicum pannum. *Hieron. in Matth.* XXIII. (†)

XXVII. In Evangelio vocantur φυλακτήρια à φυλάττω *custodio, conservo.* 1. Quia eorum usu Lex servabatur, assiduâque recordatione ruminabatur. 2. Quia Pharisæis superstitio anilis persuaserat, quòd iis velut pendentibus ex collo amuletis & φυλάμμασι, vel antidotis, contra omne periculum (23) muniti essent. Vocabulum φυλακτήριον notat amuletum, &, teste *Hieronymo*,

(†) *Fullerus* deduxit טוטפות ex voce Arabica, quæ sonat *circumivit*; quasi caput & brachium circumeuntia monimenta diceres. *Camero in Myroth. Evang. p.* 166. cum Autore à טִפַּף derivat, quod significat, *inter incedendum corpus agitavit. Pfeifferus in Dubiis vexat.* ad Exod. 13. ab antiquata rad. טָאַף, vel טָנַף *circumdedit, spectavit*, quia semper ante oculos esse debuerunt. In his frontalibus describitur egressio ex Ægypto, characteribus minutissimis, comprehensa quatuor sectionibus, quas §. 23. vidimus. *Vid. Bürklini Lexicon Heb. Mnemonicum* ad hanc vocem.

(23) Si Deus ipse gestat phylacteria, si Deus ipse in monte Sinai literis (quæ exarantur in phylacteriis) imposuit coronulas, sique Sancti in futuro seculo phylacteria ferent, sicut Rabbini hariolantur; hem quàm sancta quàmque utilia erunt præsidia! historiam Talmudicam suppeditat *Synagoga Buxtorfii l. cit.* Nunc & verbis virtutem illude superbis.

Landesbibliothek Oldenburg

Pharisæi fiduciam in his ornamentis posuerunt; quo loco comparat Pharisæos certis superstitiosis mulierculis, quæ eâdem inani fide inductæ circumferebant tùm temporis *parvula Evangelia*, & *crucis ligna*, hoc est excerptas ex Evangelio sententias, & crucis reliquias.

XXVIII. Eadem superstitio apud multos ultimis seculis invaluit, qui collo appendebant initium Evangelii Johannis. (24) *Scalig. Trihær. cap.* 7. Et circa annum Christi 692. condemnati sunt quidam necromantici incantatores, earumdem delusionum diabolicarum rei, unde à φυλακτηρίῳ *Phylacteriani* vocati sunt. *Concil. quin. sext. can.* 61.

XXIX. Tantùm de *phylacteriis*. Eodem versu scil. *Matth.* XXIII. 5. reprehenduntur *dilatatæ* & *diductæ fimbriæ*, seu oræ vestium. Vox, quæ in Evangelio legitur, κράσπεδα *fimbriæ*, vocatur *Num.* XV. 38. צִיצִת *peniculatus filorum textus*, & גְּדִלִים *fila contorta*, *institæ Deut.* XXII. 12. *Vid. D. Kimch. Radic.* Locis citatis fimbriarum peniculamenta mandantur, ab ipso nostro Servatore non neglecta; ἥψατο τῶν κρασπέδων τῶν ἱματίου αὐτοῦ, *tetigit fimbriam vestis ipsius*, *Luc.* VIII. 44. (25) Ultimum Hebra-

(24) De his si benè memini, non enim est ad manus liber, agit *Camerar. hor. subcis.* Et quantum tribuant virtutis initio Evangelii Johannis Pontificii, illud ubique usurpantes, gestantes, recitantes, notum est.

(25) Prius dicendum aliquid est de veste, ex qua fimbriæ seu laciniæ pependerunt, quàm de ipsis fimbriis. Illa vestis *Deut.* XXII. 12. dicitur כְּסוּת *tegumentum*, Luth. Mantel. Qui tamen eamdem vocem *Gen.* XX. 16. &

Hebraïcum vocabulum notat *institam* vel *fimbriam latam*: unde magis pateſcit ſuperſtitio Phariſæo-

 rum,

& alibi benè vertit Decke. Belg. Opper-Kleedt. Qui quoque eamdem vocem *Gen.* XX. 16. *Jeſ.* L. 3. transferunt Deckſel. Angl. à *veſture Deut.* XXII. 12. aliis verò locis meliùs *à covering*. Scio quidem vocem generalem *Num.* XV. 38. adhiberi, nempe בְּגָדִים *veſtimenta*: Sed fuit tantùm carbaſus, peplum ſive tegmen, ſicut experientia, monumenta Hebræorum, & doctorum virorum teſtimonia dicunt. Præterea cùm tale peplum ſit ſpecies veſtimenti, συνεκδοχικῶς loc. cit. ſumuntur veſtimenta, pro ipſo illo כְּסוּת *tegmine*. Si enim alia veſtis fuiſſet, quàm tegmen quadratum, quomodo potuiſſet habere quatuor angulos? *Deut.* XXII, 12. Unde Judæi illud tegmen appellant אַרְבַּע כְּנָפוֹת *quatuor alas*; item רְדִיד *pallam*, *peplum*, & etiam טַלִּית *tegmen*. Sed non prætereundum eſt, quod *duplex peplum* Judæis ſit: *alterum* exteriore toga occultant, *altero* caput obnubunt in Synagogis, quando precantur; non verò omnes ita obductos ibidem videas, niſi forſan ſolos religioſiores. Quale tegmen quid notarit, ſuprà diximus: Ex iſtius prioris tegminis quatuor angulis pendent צִיצִת, גְּדִילִים, ſive פְּתִלִים, *fimbriæ*, *peniculamenta*, *filamina*, *laciniæ albæ*, quia hyacinthinum colorem conficere dedidicerunt. Et hæc filamenta vocantur κράσπεδα. LXX. quoque צִיצִת ita vertunt. Inſuper cùm ἱμάτιον pro palliolo interdum ſumatur, poſſemus putare, Chriſtum tale peplum cum dependentibus κρασπέδοις *peniculis*, *filamentis*, *fimbriis*, *Matth.* IX. 20. *Luc.* VIII. 44. publicè geſtâſſe. Facile autem eſt creditu, ipſum in Scholis induiſſe tale peplum, ut teſtaretur ſe veniſſe ἐν μορφῇ δούλου *in forma ſervili*. Κράσπεδον autem notat adhuc aliud, ſcil. *oram*, *extremitatem veſtis*; ἱμάτιον *togam*. Et ſic intelligendi loci, *Matth.* IX. 20. *Luc.* VIII. 44. multis videntur. Non adeo benè גְּדִילִים & צִיצִת Luth. vertit Läplein. Meliùs Belg. Snoeren. Optimè Angl. *Fringes*.

Landesbibliothek Oldenburg

rum, qui, quum Lex latas institas permisisset, decoro & mandato latiores vestibus (26) assuebant. Hanc literalem expositionem optimè convenire puto cum textu, etiamsi *amplificare*, μεγαλύνειν Latinis & Græcis sæpè sonet *gloriari*, *jactare*; qui sensus apprimè tumidum Pharisæum depingit. Τὸ μεγαλύνεσθαι apud *Eurip. in Bacchis*, est *magnifice jactare*, *efferre*. *Magnificare* etiam apud *Varron.* & *Plin.* eâdem significatione usurpatur. *Beza in Matth.* XXIII.

XXX. Ratio præcepti de conficiendis peniculamentis fuit; ut videntes ea recordarentur mandatorum Jehovæ. *Num.* XV. 38. Ad majorem autem hujus debiti observationem suis institis sive fimbriis interserebant rigidas acutasque spinas, ut inter ambulandum vel sedendum iisdem ad recordationem legis stimularentur. *Hieron. in Matth.* XXIII.

XXXI. Septem verò Pharisæorum genera fuêre. (27) *Talmud. tract. Sota. cap.* 3. *I. Pharisæus Sichemita*,

(26) Hic quæritur, quomodo μεγαλύνωσι *magnificent* τὰ κράσπεδα τῶν ἱματίων αὐτῶν *fimbrias illas suorum tegminum sive pallorum*. Resp. Pharisæi & hodiernorum Rabbinorum sanctissimi dimittunt suas fimbrias ad calces fermè, & quinque nodis constringunt; forsan etiam, ut Autor putat, dilatant fimbriarum fila. Pharisæos autem antiquos in hoc sequuntur, qui barbam promissiorem alunt, vel in singulari habitu communem usum egrediuntur, vel libros sub brachiis gestant &c. ut hoc modo εὐσέβειαν *Religiositatem* suam ostentent.

(27) De his septem generibus plura scripserunt, *Lightfootus ad cap. Matth.* III. 7. *Buxtorf. ad Rad.* פרש. *Hotting. Thes. Phil. lib.* 1. *c.* 1. *sect.* 5. *Wagenseilius Sot. cap.* 3. *p.* 543. qui ex Talmude addit genus *octavum*, scil. *Pharisæi talis*, qui est πολυπράγμων *cunctis se rebus ingerens*.

Landesbibliothek Oldenburg

Sichemita, qui pellem Pharisaïcam vel induit vel exuit lucri gratiâ, instar Sichemitarum se circumcidentium. *II. Pharisæus truncatus*, ita dictus, ac si pedibus destitutus fuisset, quum eos vix humo vellet levare, ut suæ profundæ meditationis admirationem relinqueret. *III. Pharisæus impingens*, (28) qui oculos suos clausit, ad evitandum adspectum mulierum, ita ut crebrò caput muris impingeret & cruentaret. *IV. Pharisæus quid debeam facere*, (29) *& faciam illud:* ita dictus, quia istud sæpè crepabat. Ejusdem com-

(28) Vocatur hic etiam φλεβοτόμος *venæ sector*, quòd sæpiùs sanguinem venis mitteret; sed potiùs credo ipsum ita dictum, ut Autor ait, quòd allisione caput vel aliam partem cruentaret, & sic sanguinem mitteret, idque quòd nollet oculis vagari & fœminas adspicere. Absque dubio in his Pharisæis fuêre quidam, quorum intentio erat laude dignissima, sed media non pariter. Huc facit, quod de *Paulo Eremita*, *Simplice* ni fallor dicto, legimus; is studio taciturnitatis & castitatis eò venerat, ut non tantum fœminarum adspectum, sed & vestes earundem fugeret, obviamque quando iis fiebat, viam mutaret. Verùm Deus hanc immodestiam castigaturus, gravem Paulo morbum immisit, in quo, quùm virorum manus non sufficerent, fœminarum manibus sublevari contrectarique oportebat.

(29) Tales plerique fermè fuerunt, qui Christo semper & ejus doctrinæ obstrepuerunt. Talis fuit quoque *R. Eleasar*, qui *R. Akibam* interrogavit; *num ex tota Lege quidquam reliquum feci, quod non præstiterim? Cocc. Exer. Gem. Sanh. cap.* 11. §. 44. Nam quò quis inculpatior juxta legem est, & uti Paulus Apostolus omni bonæ conscientiæ studet, nisi fuerit illuminatus, ut Christum verè norit, eò infensior erit persecutor Christi, verorumque Christianorum.

Landesbibliothek Oldenburg

commatis videtur fuisse ille in Evangelio, qui Christum conveniens, *Bone Doctor, ait, quid faciam? &c.* tandemque subjungit; *hæc omnia observavi ab infantia mea. Luc.* XVIII. 18. 21. *V. Pharisæus mortarius*, (30) qui pileum gestabat instar profundi mortarii, in quo conterunt aromata, ne posset oculos attollere, nec in ullam partem flectere, sed tantùm vel antrorsùm conjicere, vel humi defigere. *VI. Pharisæus ex amore*, qui morem gerebat Legi virtutis amore. (31) *VII. Pharisæus ex timore*, qui obsequebatur Legi formidine pœnæ. Qui ex timore, sola præcepta negativa, qui verò ex amore, præprimis positiva reverenter coluit. (32)

CAP.

(30) Venerandus *Heidan. l. 8. c. 3. de orig. err.* putat eos ita dictos, quòd capite & dorso versùs terram inclinato, fornicati & quasi duplicati incederent, adeoque instar pistilli incurvati viderentur, quod scil. supernè retusum, & quasi duplicatum est. Fortè, ne capite erecto incedentes illiderent & impellerent pedes Dei, cujus pedum scabellum terra dicitur. In *Talmude Berachoth fol.* 43. & *Keduschin fol.* 31. legitur; hominem, qui quatuor ulnas erectus iret, tantum facere, ac si in pedes Dei impingeret, ac repelleret eosdem, quia Propheta dicit *Es.* VI. 3. *omnis terra plena gloriæ ejus.* Ratio Judaïco acumine digna.

(31) Hoc solum genus deprædicant Judæi, in quo etiam ipsum Abrahamum collocant; cæteros Pharisæos, quum lucro studeant, vilipendentes. *Pocoke not. misc. ad port. Mos. cap. 9. p.* 354. Crebrò autem in ore habent; *Legi, propter ipsam, operam esse dandam. Cocc. Ex. Gem. Sanh. cap.* 11. *§.* 58.

(32) Etiamsi Pharisæi antiqui extincti videantur, resuscitarunt tamen eorum hæresin & dogmata Pontificiorum Monachi,

CAP. XI.

De Sadducæis.

I. QUod attinet etymologiam hujus nominis, duæ sententiæ sunt, quæ verisimiles videntur. Quidam enim deducunt eam à צֶדֶק *Justitia*, quasi fuissent *justitiarii*, (1) qui se coram

Monachi, & inter hos præprimis Jesuïtæ, gens proavis suis Pharisæis ex asse simillima. Nam: 1. Prouti vocabantur illi *Pharisæi*, h. e. *separati*: sic Judæi hodie Monachos *Pharisæos* appellant, quoniam vitæ moribus, regulis, ædibus, vestibus separati vivunt, inque iis singularem sanctitatem collocant. 2. Gloriabantur Pharisæi cathedrâ Mosis & clave cognitionis; sic Jesuitæ. 3. Æquabant traditiones patrum verbo Dei scripto; sic Pontificis satellites Jesuïtæ. 4. Extollebant liberum arbitrium; sic Monachi. 5. Docebant sanctitatem operum externam seu opus operatum, ignorantes fidei in Messiam naturam; sic Ministri Papæ. 6. Opera supererogatoria jactabant; sic illorum posteri, Papales Monachi. 7. Jejunia, preces longas, certas certisque horis fixas pœnitentias crepabant; sic Monachi. 8. Filios ab honore parentum abducebant *Matt.* XV. 6. sic hodierni Pharisæi. 9. Viduarum ædes devorabant, hominibus grave jugum imponebant, Prophetas Christumque persequebantur, singularem pietatem mentientes, in aulis regum versabantur, ac terras mariaque obibant, ut proselytum facerent; sic Jesuitæ. Vide *Burman. Histor. Eccl. cap.* 16. Et utinam illi soli!

(1) Qui ipsos derivant à צֶדֶק vel צַדִּיק *justitia*, *justus*, putant ideo se tali nomine condecorâsse, ut suam ὀρθοδοξίαν testarentur; veluti Hæretici quondam dicti sunt *Puritani*, & *Gnostici* & ipsi *Turcæ* se *Musulmannos*, h. e. *orthodoxos* &c. dicere amant. Sed rectè Autor ait, potiùs derivari etymologiam à *Sadoko*, quàm à צַדִּיק, tum enim dicendum esset צַדִּיקִים non צַדּוּקִים.

coram tribunali Dei ausint justificare, *Epiph. lib.* 1. *cap.* 14. Alii derivant, & quidem solidiori fundo, à *SADOC*, primo hujus Sectæ autore; uti Arrianos ab Arrio, Pelagianos à Pelagio, Donatistas à Donato &c. ἀπὸ αἱρεσιάρχου Σαδὼκ ὀνομάζεται. *Theophyl.*

II. Hic *SADOC* vixit sub *Antigono Socheo*, qui secutus est Simonem Justum; fuitque discipulus *Antigoni*, imbutus doctrinâ *Pharisæorum*, etsi deinde desciscеret ab eo, Sectamque *Sadducæorum* pareret. Quùm autem magnam cum hæresi *Dosithei* affinitatem communionemque haberet, propterea *Sadducæi* dicebantur esse γέννημα *fœtus Dositheanorum*; *Epiph. hær.* 14. item *Tertull. de præscript. cap.* 45. licet Dositheus post Christum esset in vivis. *Origen. contra Celsum.*

III. Etsi autem insignis affinitas inter duas has hæreses intercederet, dissidebant tamen in re magni momenti. Dositheus scil. credidit resurrectionem mortuorum, Sadducæi negârunt; & sic per consequens Dositheani affirmabant omnes articulos, qui necessariò ex illa resurrectionis fide fluunt. *Epiph. hær.* 13.

IV. *Causa* hujus Sectæ hæc fuit. Cùm *Antigonus* doceret, nos Deo non debere obedire tanquam servos suis dominis, spe mercedis; (2) *Sadoc* & *Baithus*

(2) *Sadducæorum* magister *Antigonus Sochæus* solebat dictitare suis, *non esse serviendum Deo, quasi ex compacto accipiendi mercedem.* Discipuli hoc ita sunt interpretati, ac si dixisset, Deo esse serviendum sine spe retributionis. Quemadmo-

Baithus discipuli ejus, putantes, ipsum negare omnem futuram ἀντιπόδοσιν *retributionem*, præmiumve bona opera sequens, inde effinxerunt suam hæresin, negâruntque *resurrectionem mortuorum*, *seculum futurum*, *Angelos & Spiritus*. *Aboth. cap.* I.

V. Eorum *dogmata*, canones vel constitutiones hæ fuerunt; I. *Respuerunt Prophetas cæterosque Scripturæ libros*, (3) *excepto eo*, *tradidit arcano quodcunque*

admodum hoc tempore Scholastici solent dicere, Deo serviendum esse gratis, quod egregiè explicat *Jansenius* in suo *Augustino*, in hunc modum, Deo non esse serviendum ob aliud. Rectissime! nam amor Dei nullam aliam rationem habere potest, quàm amabilitatem Dei, & quòd is sit bonum, & summum, & nostrum. Sed quidam hâc sententiâ ita abutuntur, ut dicant, potuisse hominem obligari ad obedientiam sine ulla promissione vel spe. Antigoni discipuli si similia conceperunt cum Stoicis, virtutem nempe sibimet esse prægrandem mercedem, & propter se amandam exercendamque, non errarunt; nam illa in seipsa continet præmium, & fructum, sicut vitium pœnam, & rei speique jucundissimæ carentiam. Sed malè ex hoc conclusserunt, non esse resurrectionem. *Cocc. sel. Disp. p.* 107, §. 24.

(3) Multi censuerunt Sadducæos esse propaginem *Samaritanorum*, solum Pentateuchum retinentium, ne ex Prophetis invitis oculis legere deberent, non montem *Garizim*, sed *Tzionem* electum; verùm frustrà, siquidem Sadducæi, Hierosolymitano templo adhærentes, satis testantur se amplecti omnes libros Canonicos; non enim ex libris Mosis habebant, Deum solium suum constituisse in Tzione, sed ex libris Propheticis. Deinde duæ rationes adhuc suadent, Sadducæos non esse aversatos cæteros sacros libros. I. Quia in Talmude occurrunt disputationes eorum cum Pharisæis de resurrectione, ubi argumenta è

Pro-

que volumine Moses; ob quam rem Salvator noster confossurus errorem eorum de resurrectione mortuorum, argumenti sui telum non ex *Prophetis*, sed *Exodo* depromit cap. 3. 6. *Ego sum Deus Abrahami, Deus Isaaci, & Deus Jacobi. Matth.* XXII. 32. *Vid. Joseph. Antiq. lib.* 13. *cap.* 18.

VI. 2. *Rejecerunt omnes traditiones. Elias in* צרק. Propterea nuncupabantur מינים *Minæi*, h. e. *Hæretici*, respectu generalis oppositionis Pharisæorum & ipsorum. A. Quia Pharisæi soli *Catholici & orthodoxi* reputabantur. B. Quia Pharisæorum doctrina veritati propior erat. Sicque respectu oppositionis particularis; cùm alii conculcarent traditiones, alteri inculcarent. Hinc etiam Sadducæis impositum est nomen קראים *Textuales*, (4) *Scripturarii. Drus. de* 3. *Sect. l.* 3. *cap.* 3. *pag.* 130. VII.

Prophetis depromuntur. 2. Quia S. Scriptura, si eo errore fuissent infecti, id non silentio pressisset. *Act.* XXIII. 8. *Matth.* XXII. 23. *Marc.* XII. 18. *Luc.* XX. 27. Ejusdem sententiæ est Cel. *Spanh. Dub. Evang.* 29. *part.* 3. qui citat Josephum testantem, quòd Sadducæi amplexi sint πάντα τὰ γεγραμμένα *totam scripturam.*

(4) Vocati quoque sunt בייתוסים *Baithosæi* à *Baithoso* Sadoki condiscipulo; differre tamen eos dicit *Hotting. Phil. l.* 1. *cap.* 1. *sect.* 5. Item *Epicuræi*, quia cum his negabant futurum seculum, hujus mundi & vitæ bonis saturi & contenti. Eaque propter *Esras*, cujus tempore ea hæresis (postmodum *Sadducæorum* dicta) pullulâsse dicitur, Sadducæis quàm maximè resistens, dedit Orthodoxis aliquod Symbolum, quo ab Heterodoxis distinguerentur: nempe decrevit, ut ad coronidem omnium orationum, quæ in templo fundebantur, adjiceretur, *à seculo in seculum*, מן העולם עד עולם: quam clausulam & Christus orationi, quam discipulos docuit, annexuit, εἰς τοὺς αἰῶνας,

VII. 3. *Bonis operibus denegabant omne præmium in futuro seculo, malisque supplicium*; ob id Paulus, cognito, unam partem in Synedrio esse Sadducæorum, alteram verò Pharisæorum, clamavit; *De spe & resurrectione mortuorum in judicium vocor. Act.* XXIII. 6.

VIII. 4. *Dicunt* μὴ εἶναι ἀνάστασιν νεκρῶν *non esse resurrectionem mortuorum. Act.* XXIII. 8. *Matth.* XXII. 23. *Luc.* XX. 27.

IX. 5. *Asserebant animas hominum in morte annihilari.* (5) *Joseph. de bello Jud. l.* 2. *c.* 12.

X. 6. *Negabant existentiam Angelorum & Spirituum. Act.* XXIII. 8. (6)

H XI. 7.

(5) Hic cardo est totius hæresis Sadducæanæ, & inde deductorum dogmatum; ex quo cardine quoque pendent offuciæ & laciniæ *Socinianorum*; sed hos cum illis optimè retundit responsio Christi *Matth.* XXII. 32. *Deus est Deus Abrahami* &c. h. e. merces amplissima. Si enim Deus est Abrahami Deus, tum est quoque Abrahami perfecta & consummatissima felicitas; ratio est, quia, quando Deus alicujus Deus κατ' ἔμφασιν dicitur, necessariò subintelliguntur Dei virtutes, Bonitas, Amabilitas, Suavitas, Vita, Lux, &c. Si autem Abrahamus tum non vixisset quoad animam, quomodo Deus ipsius Deus, ipsius merces, ipsius beata vita fuisset? *Heb.* XI. 16. Hanc pestilentissimam doctrinam Sadducæorum multi divites, quos pompa & vesana cupido hujus mundi occœcaverat, sequebantur. Vid. *Joseph. Antiq. l.* 18. *cap.* 2. *Cocc. in Matth.* XXIII. 2. Hæc doctrina etiam regia via est ad campum flagitiorum; unde Sadducæi omnium pessimi fuerunt, teste *Josepho de B. J. l.* 2. *c.* 12. vid. plura *cap. X. not. ad* §. 1. præfiguraruntque homines in eminentiori loco & sorte constitutos & mundum amantes.

(6) Error Sadducæorum de mortalitate animæ sine dubio inde natus est, quòd considerarent animam, tanquam

XI. 7. *Tollebant penitùs omne fatum & providentiam*, dominium integrum libero hominis arbitrio deferentes. *Joseph. l.* 13. *c.* 9.

XII. *Samaritani* & *Sadducæi* valdè affines sibi erant, discrepabant tamen; nam 1. *Samaritani* sacra perficiebant in templo montis *Garizim*, *Sadducæi*

quam aliquam corporis qualitatem, quæ cum ipso corpore pereat, aut tanquam subtilissimum aërem per corpus diffusum, qui dissipetur collapso suo organo. Nec mirum est alias hæreses ortas, quæ hallucinantur circa spiritualitatem animæ. Sadducæi ergo, malè acceptâ animarum essentiâ, negarunt earum veram spiritualitatem, h. e. exuto corpore existentiam. Hinc loc. cit. *Act.* XXIII. dicuntur negare πνεύματα *Spiritus*, eorumque ut & Angelorum spectrorumque existentiam & apparitionem. De quorum apparitionibus sanius sentiebant Discipuli Jesu. Vide *Matth.* XIV. 26. *Luc.* XXIV. 37. *Act.* XII. 15. &c. Verum tamen multi hîc hærent, dubitantes πνεύματα καὶ τοὺς ἀγγέλους per animas humanas aut Angelos bonos exponere. *Scaliger* rotundè fatetur se hoc dissolvere non posse; quia non capi potest, quòd Sadducæi recipientes (juxta communem sententiam) Pentateuchum, ausi sint negare Angelos; cùm toties apparitionum Angelicarum mentio fiat. Proinde non fore spero τόλμημα, si ego per πνεύματα statuo animas intelligi, & per ἀγγέλους malos æque ac bonos Angelos. *Jud.* 6. 2. *Petr.* II. 4. Objicienti, Sadducæos ex obsessis tempore Christi existentiam Diabolorum observasse; respondeo illos forsan habuisse omnes obsessos pro mente motis, aut naturali aliquâ causâ ratione deturbatis, velut sunt σεληνιαζόμενοι *Lunatici*, quibus Lunæ vicissitudo infesta est. Quam sententiam tuetur insanissimus liber *Beckeri*, pastoris Amstelodamensis, *Mundus Fascinatus* dictus; quo Libro & *Sadducæi* hodierni, sive homines hujus seculi, summopere afficiuntur, & Autor testatus est, se ignorare & Deum, & angelos, & scripturam. *Matth.* XXII. & cœcâ saltem ratione uti & duci.

Landesbibliothek Oldenburg

ducæi in *Hierosolymitano. Epiph. tom.* 1. *lib.* 1. *hær.* 14. 2. *Samaritani non utebantur familiariter* (7) *Judæis. Joh.* IV. 9. Imò mutuum odium adeo Samaritanorum Judæorumque animos inflammaverat, ut Judæis non liceret edere aut bibere cum Samaritanis. *Quomodo tu Judæus quum sis, potum à me poscis, quæ tamen sum fœmina Samaritana? Joh.* IV. 9.

XIII. Et cùm omnibus gentibus facultas esset concessa & libertas accedendi ad Judaïsmum & proselytismum, solos tamen Samaritanos eâ libertate ferale Judæorum odium indignos censebat. Id liquet ex solemni ista anathematizatione, quæ dicitur: *Excommunicatio in secreto nominis tetragrammati. Drus. de trib. sect. lib.* 3. *cap.* 11. Modus ejus, uti in Samaritanos (prout ajunt) â Nehemia & Esra fulminata est, ita se habuit: *congregant totum populum in templo Domini, adducentes* 300 *Sacerdotes*, 300 *tubas*, & 300 *codices legis, totidemque cantores; resonantibus tubis cantantes Levitæ devovent Samaritanos, omnis generis execrationibus, in secreto nominis tetragrammati Jehovah, & in decem præ-*

 ceptis,

(7) Quando Evangelista dicit, οὐ γὰρ συγχρῶνται Ἰουδαῖοι Σαμαρείταις, non vult, ipsos nullum commercium cum ipsis habere; Judæi enim mercaturam non abnuerunt etiam cum quibusvis gentibus; nec intelligit, Judæos non uti Samaritanis, nam in *Gloss. in Kidduschin fol.* 76. 1. & *Hieros. Jevamot. fol.* 9. 1. dicitur, *Samaritam* farinam suam depsere posse in domo Israelitæ, & Israelitam *Cutheum* circumcidere posse; quæ præsupponunt, quòd cum *Cutheis* aliquis usus fuerit. Sed hoc intelligit Johannes, quòd Judæi non utantur Samaritanis, ita ut iis ob aliquod beneficium devinciantur, aut ab iis aliquid accipiant gratis, aut petant mutuò. Sic *Otto Lex. Rabb. p.* 583.

Landesbibliothek Oldenburg

ceptis, & cum execratione sublimioris domûs judicii, & quoque cum execratione inferioris domûs judicii, ne quis comedat panem Samaritani, (hinc inquiebant, eum, qui vesceretur pane Samaritani, similem esse illi, qui vescitur suillâ) *nec permittatur Samaritanus fieri proselytus in Israële, adeoque portionem habere in resurrectione mortuorum. R. Gerson* prohibuit reclusionem epistolarum sub pœna hujus anathematis, *Buxtorf. Epist. Hebr. p.* 59. (8)

XIV. Hôc firmantur ea, quæ præmissa sunt, scil. nullum vitæ usum commerciumve inter Samaritanos & Judæos fuisse. Sadducæi autem fruebantur familiari consuetudine aliorum Judæorum, ac Pharisæorum quoque, in idem Synedrium cum ipsis asciti. *Act.* XXIII. 6.

XV. Conveniunt autem Samaritani & Sadducæi in hisce: 1. *In rejectione omnium aliarum constitutionum.* 2. *In rejectione omnium aliarum Scripturarum præter*

(8) Rationes tanti odii fuerunt; quia, ut utar verbis *Seldeni de Jur. N. & G. l.* 2. *cap.* 5. *quò angustius post defectionem erat vicinitatis interstitium, eò vehementior flamma odii surgebat.* Sicut inter cognatos, ubi nascitur simultas, inextinguibilis fermè inimicitiæ ignis ardet, ita inter Judæos & Samaritanos, qui sibi religione quadantenùs affines erant; Quia sine dubio Judæos gravissimè ussit, quòd Samaritani se Judæos profiterentur, quando prosperarum rerum Zephyri afflarent Judæos, se verò eos esse negarent, ubi graviter incumbentes Noti ipsos premerent. *Joseph. Antiq. l.* 12. *c.* 7. Quod odium Judæos eò duxit, ut non solùm prohiberent omne convivium cum illis, sed ut etiam pro rejectaneo haberent eum, qui acciperet à Samaritano eleemosynam. *Cocc. Sanh. cap.* 3. §. 3. *not.* 11.

præter libros Mosis. 3. *Inficiatione* (9) *resurrectionis, & consequentium exinde, ut futuræ pœnæ & præmii secundum hominis opera.* Samaritani verò contra Sadducæos existentiam Angelorum tuebantur. Ad majorem fidem hujus consensûs & dissensûs inter eos, *lege Epiphanium Hær.* 9. & 12.

XVI. Quod attinet *Samaritanos*, tres mutationis gradus in ipsorum religione observatu digni sunt. [1] Erant Coloni, quos Salmanassar in Samariam deduxerat, Israële in Assyriacam captivitatem misso, colebantque Deos suæ gentis. (10) 2. *Reg.* XVII. [2] Videntibus autem se interfici à leonibus, quùm non vererentur Jehovam, submisit Rex Assyriæ unum ex Sacerdotibus captivis, ut illos imbueret vero Dei cultu; quem cultum etsi reciperent, nolebant tamen valedicere patriæ idololatriæ, sed mistâ & confusâ utrâque religione, & Deo vivo & mutis suis idolis procumbebant. [3] *Manasse* frater Jaddi Pontificis Hierosolymitani, ductâ in matrimonium filiâ *Saneballathi Horonitæ*, mandato Nehemiæ de dimittendis mulieribus peregrinis eò angustiæ redactus, ut vel uxorem vel spem Sa-

(9) Nón sine ratione multi diffitentur, Samaritanos negâsse resurrectionem; erroremque exinde ortum esse dicunt, quòd cum Sadducæis subinde confundantur. Addo, compertum esse, quòd Judæi ipsis Samaritanis ex odio multa affricare studuerint, quorum tamen argui non possunt. Nota est fabula de columba, quam adorâsse dicuntur à Judæis.

(10) De his Diis, quos penes Deum coluerunt Coloni isti, agetur lib. 4. cap. 7.

Landesbibliothek Oldenburg

cerdotii abjicere deberet, ope Saneballathi potestatem nactus est ab Alexandro Magno exstruendi templum in Garizim, monte Samariæ altissimo; ad quod deinde plurimi apostatarum Judæorum confugientes Pontificatum Manassæ arrogârunt. (11) Tum erupit Secta Samaritanorum, quos

(11) *Samaritani*, uti in genere præfigurârunt omnes hujusmodi homines in Christianis, qui duobus Dominis h. e. Deo & mundo, seu Deo & Divitiis, unà servire se posse putant, & propterea velut Chamæleon variam faciem induunt; Sic imprimis insignis typus *Pontificiorum* fuere: 1. Dum horum caput se vocat שֹׁמֵר *custodem* animarum, & tamen est רֹעֶה אֱוִיל *pastor stultus*. Zach. XI. 15. uti Samaritani dicti sunt à שָׁמַר *custodire*. 2. Peculiare templum exstruxerunt Samaritani beneficio Alexandri Magni; Pontificii jactant donum Constantini. 3. Samaritani & Deum verum & alios Deos coluerunt; quid faciant Pontificii, notum est. Memorabile est, quòd Jesuitæ Americanis, Christianam religionem amplexis, idola domestica colenda indulserunt, & quòd Christianis, in China vel India orientali negotiantibus, permiserunt adorare terriculamenta Indica, modò in loculis crux lateret. 4 Samaritani in monte *Garizim* cultum exercuêre ex mera ἐθελοθρησκείᾳ; talem cultum exosculatur Pontificia religio. 5. Samaritani nesciverunt, quid adorârint *Joh.* IV. quia non ex fide & ex mandato Dei adorârunt; Pontificii panem in Missa adorantes, quid adorent, nesciunt; confitentur nullibi exstare, Christum sub speciebus panis esse adorandum. Possunt & *Lutherani pertinaciores Samaritanis* aliquatenus comparari, (quod tamen sine ullo odio, sed solo veritatis impulsu, minimeque de Bonis & Æquis, dictum esto; nemo non enim videbit, rem ex asse quadrare, & ovum ovo vix similius esse. Æquoque animo feremus, quando nos Lutherani Samaritanis,

quos inter & Judæos postea novercale odium arsit; tunc apertum est asylum, & præsidium factum omnibus prioribus erroribus. *Joseph. Antiq. lib.* 11. c. 8. De hoc monte sermocinatur Samari-

ritanis, modo non fiat vis verbis, omniaque obtortâ cervice attrahantur, conferre potuerint) alio tamen modo quàm Pontificii, hi propter *hæresin* & *doctrinam*, illi propter *alias circumstantias*, quæ sequentur. [1] *Samaritani* ex Imperio Babylonico egressi fuêre, sed aliâ viâ quàm *Judæi*; res plana est. [2] Ad internecionem oderunt Judæos. Sic &c. [3] Singulare templum in monte Garizim exstruxerant, vetantes, ne quis ex suis Judæorum sacra frequentaret. [4] Judæorum rempublicam atque templum diruere conabantur. Ita quoque Lutherani studuêre Reformatos contundere, res illorum affligere, & extra omnem pacis à Cæsaribus permissæ conditionem ejicere. Profectò pudet me talia de iis, quos fratrum numero accipimus, dici posse. [5] Plurima in cultu, religione, doctrina cum Judæis communia habebant. Sic Luth. cum nobis. [6] At & in multis Babylonicis conveniebant; Sic Luth. in multis cum spirituali Babylone. [7] Utque ita Samaritani medii erant inter Hæreticos, Gentiles Idololatras, & Orthodoxos; sic Luth. nec hæretici sunt, nec planè Orthodoxi. Hinc unicuivis facilè patet, *Jehu* regem Samaritanorum insignem *Luth.* Viri profectò magni, typum fuisse. Etenim: [1] Uti Jehu priùs erat minister Jesabelis; sic Lutherus Papæ, spiritualis Jesabelis. [2] Uti Jehu à Deo electus ad prosternendam Jesabelis idololatriam; sic Lutherus. [3] Uti Jehu magno zelo exarsit postmodum contra Baalitas pro Dei honore, 2. *Reg.* X. 16. etsi primitùs reformationem non intenderet. Sic Lutherus postea pro domo Dei magno zelo fuit inflammatus, etsi priùs reformationem non intenderet, sed post affixas de indulgentia disputationes, Papæ sese submittere vellet, veniamque precaretur. [4] Uti itaque Jehu Baalitas persecutus est; sic Lutherus Monachos Baalitarum

tana illa mulier. *Joh.* IV. 20. *Patres nostri in hoc monte* προσεκύνησαν *adorârunt &c.* Ubi dogmata Pharisæorum cum doctrina Sadducæorum contulerimus, clarescet *oppositio* insignis inter ipsos, qui tamen uniti Christum aggrediuntur. *Marc.* XIII.

XVII. Quamvis autem hæc Secta inter Judæos crassissima fuerit, suos tamen habuit amicos & buccinatores inter ipsos Pontifices: *Johannes Hircanus* Sadducæus fuit; *Gorionides cap.* 29. Ipsiusque filii *Aristobulus*, *Alexander*, ut & *Ananus* junior, hujus Sectæ erroribus fuêre incrustati, sic ut ipsam Mosis cathedram pestifera errorum hæresiumque contagio occuparit. *Euseb. hist. lib.* 2. *cap.* 23. *ex Joseph. Antiq. l.* 10. *c.* 18.

nepotes. [5] Sed uti Jehu non penitùs sustulit aureos Bethelis vitulos, 2. *Reg.* X. 29. sic Lutherus reliquit idola Pontificiorum &c. Unde non mirum, apud Prophetas, & præsertim Hoseam, *Reformatos Judam* vocari, *Lutheranos Israelem* aut *Ephraïmitas*, ut qui erant maxima Israelitarum pars, quique cum Ægyptiis & Assyriis NB. seu Babyloniis fœdera inibant. Conf. *Hos.* VIII. 9-14. IX. 8. 9. XI. 12. XII. 1. XIII. 1. 2. XIV. 9.

CAp.

CAP. XII.

De Essenis,

I. DIversæ sunt etymologiæ nominum *ESSÆORUM seu ESSENORUM.* (1) Eam sententiam plurimùm facio, quæ derivat eos à Syriaca voce אסא *Asa*, θεραπεύειν *sanare, mederi.* Hinc viri toties vocantur θεραπευταὶ, & fœminæ θεραπευτρίδες. *Joseph. de bello J. lib. 2. cap. 12. p. 786.* Licèt enim primariò operam darent Sacris Literis, se tamen totos *Medicinæ* studio applicuerunt.

II. Horum Essenorum duæ fuerunt species θεωρητικοὶ, qui *speculationibus* animum pascebant, & πρακτικοὶ, qui huic *arti*, in qua eximii erant, quotidie sedulò manus operamque suam tradebant. De his posterioribus agit *Philo lib. quod omnis vir probus &c.* De prioribus, *libro seq. de vita contemplativa.*

III. *Dogmata*, hypothesesque ipsorum ut plurimùm congruunt cum doctrina *Pythagoræ.* (2) Quamobrem animus est, primò proferre dog-

(1) Ἐσσαῖοι חשאים ab aliis derivantur à עשה fecit, quia fuerunt πρακτικοὶ *operarii*; ab aliis à חסיד ὅσιος *sanctus.* Vid. *Drus. de 3. Sect. lib. 4. cap. 5.* Alii deducunt à חשה *siluit*, quia *accumbentibus decem Essenis, nemo locutus est invitis novem*, vel quia à communis commercii motu & strepitu remoti egerunt, veluti *Ascetæ.* Alii à חסה etymologiam petunt, quod est *confugere, recipere se*, quòd se in secretiora & solitaria loca receperint.

(2) Quòd quoque *Pythagoras* sua Philosophiæ præcepta ab *Hebræis* hauserit, multis testimoniis firmavit Cl. *Seldenus*

mata *Pythagoræ*, & deinde rem *Essæorum* persequi. In his ergo conveniunt.

IV. 1. *Pythagorici docebant communionem bonorum. Aul. Gel. l. 1. 9.* Item *Laert. in Pythag.* κοινὰ τὰ φίλων εἶναι. Commune marsupium (3) habebant etiam *Esseni*, æqualiter divites, pauperesque. *Joseph. l. 18. c. 2.* Ex hoc communi thesauro suo quisque defectui consulebat, injussu aliorum quoque necessitatibus succurrens; solos cognatos absque Inspectorum consensu juvare nefas est. Inter se neque vendunt, neque emunt, sed alter alterius defectum complet. Permissum est, alterum ab altero, quo destituitur, petere citra commutationem. Mutuum sibi servitium præstant, quum dominium & servitium, vigente bono-

Seldenus de J. Nat. & G. lib. 1. cap. 2. Hæc *Justinus* prodit: *Pythagoras Sami Demarato locuplete negotiatore natus, magnisque sapientiæ incrementis ornatus, Ægyptum primò, mox Babyloniam, ad perdiscendos siderum motus, originemque mundi spectandam, profectus, summam scientiam consecutus erat. Lib. 20. cap. 4.* Unde concludo, ipsum tendendo in Chaldæam ex Ægypto, Hebræos transisse & ab iis dogmata quædam hausisse, vel potiùs ipsum Babyloniæ apud Judæos fuisse. Floruit enim Pythagoras anno mundi 3514. Judæis captivitate Babylonica detentis, & ad Euphratis fluenta suas lacrymas fundentibus.

(3) Esseni planè eodem modo ac Pythagorici omnibus in medio positis communiter utebantur. Habitabant simul & conveniebant, ut sodales, cùm à laboribus mercedem ceperant, apud Quæstorem deponentes. De Pythagoricis ita fatur *Aul. Gell. loc. cit. Omnes simul, qui à Pythagora in cohortem illam disciplinarum recepti erant, quod quisque familiæ pecuniæque habebat, in medium dabant, & coleba-*

bonorum communione, consistere nequeant, servique plerumque fortunas dominorum suorum arrodant ac minuant, juxta dictum hoc R. Gamalielis: (4) מרבה עבדים מרבה גזל *multiplicans servos multiplicat raptores. Pirke Aboth. c. 1.* Peregrè euntes nihil nisi arma, quibus vim propellant, assumunt; In quocunque enim vel oppido vel pago sunt, societati Essenorum se adjungunt, atque ibidem tanquam membra sustentantur. Præterea si *Josephum* attentè legimus, observabimus, Essenos cujusvis urbis coivisse in communem societatem sive collegium, quod,

colebatur societas inseparabilis, tanquam illud fuerit antiquum consortium, quod re atque verbo appellabatur κοινόβιον, *vitæ fortunæque communitas.* Pontificios superiùs contulimus Samaritanis; hîc rursùs egregium Monachorum ὑπόδειγμα habemus, qui seipsos vocant *Cænobitas*, *Monachos*, *Fratres*, *Pauperes &c.* At rursus quantum hodierni Monachi ab Essenis illis differant, nos docet *Bernardus qui epist. 42. paulò ante finem* ait: *Labor & latebræ & voluntaria paupertas, hæc sunt Monachorum insignia. Laborem quidem jactant, sed otium amant; latebras in Monasteriis habent, sed in aulis oberrant; voluntariam paupertatem profitentur, sed quadrato abdomine diffluunt.* Pulchrè de illis *Scaliger*: *Nunc inter aulæ viperas catervatim sues cruore pauperum saginantur.* Sic fermè omnia Essenorum dogmata, quæ hoc cap. recensentur, vel verè amplectuntur, vel fictè jactant Monachi. Æquus Lector altiùs repetat & conferat placita eorum.

(4) Alii hoc de servis dictum adscribunt *R. Hilleli*, qui vixit circa natum Christum, patri *Simeonis Justi*, præceptoris *R. Gamalielis.* Eo dicto voluit docere; divitem pauperascere, ubi multos alat servos servasve, suam utilitatem plerumque quæsitantes, & à quibus, velut à canitus propriis Actæon, discerpi possit.

Landesbibliothek Oldenburg

quod, ubicunque fuit, duas ministrorum species habuit: Primò *thesaurarios*, qui communis gazophylacii, victûs, potûs, aliarumque rerum ac necessitatum curam gerebant. Secundò *alios*, quibus hospites peregrini è grege suo commendati erant.

V. 2. *Pythagorici vitia & instrumenta luxuriæ evitabant. Justin. lib. 20. c. 4.* sic & *Esseni Joseph. de bello Jud. lib. 2. cap. 12.* Huc referendum est, quòd oleum adeo fugiebant, (5) ut, si quis incautus eo adspersus fuerat, extemplò detergerent.

VI. 3. *Pythagorici amabant vestes albas. Suid. item Ælian. de var. hist. lib. 12. c. 32.* Ita & *Esseni* amicti incedebant indumentis candidis, sed non ultra decorum & modestiam pretiosis. *Joseph. de B. J. lib. 2. c. 12.* Ubi vestem sumpserunt, non mutârunt eam, nisi longus usus eam attrivisset.

VII. 4.

(5) Duas rationes puto esse, cur oleum Esseni tam aversati fuerint; 1. Quia ejus usus ad luxuriam plerumque versus est. Vid. *Plin. nat. hist. l. 15. cap. 4.* & alibi; *dum colorem nitoremque cutis commendat, corpus mollit, capillumque mirâ fœcunditate evocat.* Nolebant ergo Esseni videri molles, & curandæ cuticulæ, sed labori intenti. 2. Quia Gentiles Diis infernalibus oleum consecrabant. *Virg. Æneid. l. 6. vs. 252.*

Tum Stygio Regi nocturnas inchoat aras:
Et solida imponit taurorum viscera flammis,
Pingue superque oleum fundens ardentibus extis.

Nolebant ergo forsan eo inquinari; quòd diabolo sacrum esset. Ne mihi objiciatur, eos hoc respectu non potuisse abhorrere ab oleo, quia etiam eo Dei Sacerdotes summi delibuti fuerint; potiùs ergo hoc intuitu oleum adhibuisse, quàm fugisse. Sed notum est, aliud fuisse oleum, scil.

multis

VII. 4. *Pythagorici jurejurando interdicunt; Laërt. in vit. Pyth.* Sic *Esseni. Philo Judæus.* Eum insignem nugatorem & mendaciorum propolam esse censebant, cui jurejurando fidem parare necesse esset.

VIII. 5. *Pythagorici eximiè venerabantur suos Seniores. Suidas & Laërt.* Sic *Esseni. Joseph. de B. J. lib. 2. c. 12.* Totum corpus sive sodalitium Essenorum dispescuerant *εἰς μοίρας τέσσαρας in quatuor ordines* secundùm ætatem; jam si quis ex ordine primo attigerat alium ex ordine ultimo, se contaminatum pollutumque reputabat, ac si Paganum attrectâsset.

IX. 6. *Pythagorici aquam potabant. Suidas.* Ita *Esseni* meram aquam bibentes, à vino omni alieni erant. (6) *Philo de vit. contempl.*

X. 7.

multis aromatibus mixtum, quo Sacerdotes uncti sunt, quodque Esseni nec aversari, nec præparare debuerunt, & aliud scil. non compositum ex aliis speciebus, illud oleum, quo Gentiles suas aras tepefecerunt, quodque Esseni fugerunt.

(6) Eædem rationes sine dubio fuêre, cur vino abstinuerint, quas antecedenti notâ fuisse conjecimus. 1. Quia vinum corpus enervat, præsertim illud, quod vites terrarum orientalium propinant, & facilè ad vitia & venerem instigat. Nolebant ergo Esseni ullâ ingurgitatione *ὁσιότητα sanctitatem* & contemplationes suas impedire, aut libidinum amantes haberi. 2. Quia Sacerdotes Gentiles vino abutebantur, id inter cornua victimarum effundentes. *Ovid. lib. metam. 7.*

——— *Dum vota Sacerdos*
Concipit; & fundit purum inter cornua vinum.

Abstinuerunt ergo iis rebus, quas Dîs infernalibus audierant

X. 7. *Pythagorici utebantur* θυσίαις ἀψύχοις *sacrificiis inanimatis. Laërt. in vit. Pythag.* Sic *Esseni.* Dona templo submiserunt, nullum sacrificium offerentes; Quoniam pluris fecerunt sacram suam aquam quàm sacrificia; ob quam rem reliqui Judæi ipsos è limine templi arcuerunt. *Joseph. Antiqu. l.* 18. *c.* 2.

XI. 8. *Pythagorici statuminabant fatum in omnibus rebus. Suidas.* Sic *Esseni. Joseph. Antiq. lib.* 13. *cap.* 9. Tres Judæorum hæreses in hoc puncto differunt. Ex mente *Pharisæorum*, fatum quædam, quædam arbitrii libertas gubernat. *Esseni* cuncta subdunt fatali necessitati, nihil arbitrio libero. *Sadducæi*, rejecto fato, arbitrii libertatem omnium humanarum rerum moderatricem statuunt.

XII. 9. *Pythagoricis non concessum fuit verba facere in schola quinque primis annis;* (7) quod quinquennale

rant consecrari, unde & carnibus temperârunt, solis herbis contenti, queis latrantem stomachum sedarent. Prior tamen ratio potior est, erant enim homines pietatis virtutumque studiosissimi & omnis mollitiei hostes.

(7) Lubet hîc audire *A. Gellium*; is *lib.* 1. *c.* 9. sic scribit: *Pythagoras à principio adolescentes, qui sese ad discendum obtulerant,* ἐφυσιογνωμόνει, *h. e. mores, naturasque hominum, conjectatione quâdam de oris & vultûs ingenio, deque totius corporis filo atque habitu sciscitabatur. Eum, qui exploratus ab eo idoneusque fuerat, recipi in disciplinam statim jubebat, & tempus certum tacere; non omnes idem, sed aliud aliis tempus pro æstimato captu solertiæ. Is autem, qui tacebat, quæ dicebantur ab aliis, audiebat; neque percunctari, si parùm intellexerat; neque commentari, quæ audîerat, fas erat; sed non minùs quis quam tacuit, quàm biennium. Hi prorsùs appellabantur intra tempus tacendi audiendique,* ἀκουσι-

nale silentium à Pythagora suis auditoribus indictum vocabant ἐχεμυθίαν ab inhibendo sermone. Sic initiati fuerunt per quinquennale silentiũ, nec priùs in conspectum & præsentiam Pythagoræ admissi. *Laërt. in Pyth.* Huc referimus (†) silentium *Essenorum*, quo mussabant accumbentes, cum decem simul sedentibus nemo loqueretur invitis novem. *Drus. de z. sect. lib.4.* Non fuit ipsis mos loquentem interstrepere; sed vel capitis manûsque nutu, vel digiti erectione, vel capitis motione, aliisque istiusmodi mutis signis aut fastidium suum, aut dubitationem, aut approbationem &c. indicare.

XIII. Referri quoque potest ad quinquennale Pythagoræorum silentium Essenorum *initiatio*; nam non statim quis ad societatem eorum admissus est plenâ libertate, sed quatuor annis explorandus fuit. Primo anno accipiunt *dolabellam*, quâ commodum locum exonerandæ alvo egerunt; περίζωμα *subligaculum*, quo lavantes utuntur, & *vestem* niveo candore nitentem, quâ hæc Secta

ἀκουστικοί; *hoc soluto silentii tempore scribere poterant & quærere, vocabanturque* μαθηματικοί, *denique* φυσικοί. Eodem fermè modo priùs explorabantur Esseni.

(†) Non dici potest, quanto stet damnõ, Discipulos Scholarum nostrarum haud adsuefieri silentio, nec erudiri in Taciturnitatis virtute. Hinc in arte locutoria, vel potius vitio garrulitatis, adolescentes, in viros tandem evadunt, qui vel proditores, vel diaboli & obtrectatores, vel nugatores, vel disputatores, & oblocutores, vel pessimi rabulæ & injustissimorum negotiorum procuratores, vel quodlibetici defensores, ματαιολόγοι καὶ λογομάχοι sunt.

Landesbibliothek Oldenburg

Secta præprimis capitur. *Joseph. de B. J. lib. 2. c. 12.* Hoc temporis fluxu familiaribus consuetudinibus, extra tamen commune triclinium, utebantur. Secundo anno datur ipsis sacrarum rerum communio, earumque instructio. Sequentibus duobus annis plenâ potestate admissos, observantiamque Essenorum legibus & constitutionibus jurejurando sanctè pollicitos, in societatem sive collegium recipiunt.

XIV. Quando quis jusjurandum violat, congregantur centum eorum, perjurum exturbantes, mox hanc ejectionem subsequente morte; nulli enim, suscepto semel hoc ordine, eleemosynam vel ullum cibum ab alio mendicare licebat; quapropter is corpus suum insipidis noxiisque herbis pascens corrumpebat, mortemque accelerabat. Interdum istiusmodi hominem morti proximum recipere, plerumque autem contabescere, malebant.

XV. 10. *Esseni adoravêre versûs Solis* (8) *ortum, Philo, item Joseph.*

XVI.

(8) Ob hanc adorationis speciem vocati sunt שמשאין ἡλιάζοντες *Solicolæ*; Soli etiam ut faciliùs oriretur, fecerunt εὐχὰς πατρίους *consueta vota. Joseph. l. 2. c. 12.* Contrarium hâc parte *Pythagoras* suis discipulis præcepit, scil. ne sermonem facerent πρὸς ἥλιον πεπραμμένοι *facie Soli obversâ.* Philosophus autem ille, sicut aliis in præceptis, ita hîc, mysticum sensum intendit. Nam quando *fabis* interdixit, tum id non literaliter intelligendum est, sed quòd aut *Venere*, aut *Magistratûs* dignitate abstinendum sit, quia fabæ cient libidinem, aut quia fabis electus est Magistratus in Græcia, uti legitur apud *Empedoclem*, *A. Gel-*

XVI. 11. *Esseni se-ipsos sacramento devinxerunt ad observandum nomina Angelorum. Joseph. de B. J. l. 2. cap.* 12. qui loquendi modus indigitat speciem adorationis.

XVII. 12. *Supra omnes accurati & solliciti erant in observando Sabbatho. Joseph. ibidem.* Hoc die cibos parare, ignem sufflare, vasa à locis transferre, vel naturam levare timebant. Observant etiam, teste *Philone de vit. contempl.* ἑβδομάδων ἑβδομάδας, quâvis septimâ septimanâ solennem Pentecosten, quotannis septem Pentecostas.

XVIII. 13. *Abstinuerunt quoque connubiis*; non quòd conjugium in se turpe ipsis videretur, aut quòd meditarentur finem imponere propagationi, sed quòd extimescerent mulierum intemperantiam, persuasique essent, nullam fœminam constanti amore in maritum ferri. Hic cœlibatus

I non

A. Gellium &c. Item quando docuit, non esse fovendas in ædibus *hirundines*, censuit, ingratis non esse benefaciendum, quum abeuntes nil nisi stercus relinquant. A quo sensu (si is Pythagoræ fuit) longissimè abiit *Seneca de Benef.* 4. *Propositum est nobis secundum rerum naturam vivere & Deorum Exemplum sequi. Dii autem quodcunque faciunt, in eo nihil præter ipsam faciendi rationem sequuntur &c. Hæc quoque nostra ratio, si ab Exemplari suo non aberrat, servet &c. Si Deos imitaris, da & ingratis beneficia, nam & sceleratis sol oritur & piratis patent maria &c. Ingratus est? non mihi fecit injuriam, sed sibi, nec ideò pigrius dabo, sed diligentius.* Sic quando interdixit *sermone versùs Solem habendo*, voluit juxta multorum sententiam, non esse contradicendum veritati, quasi per Solem indigitâsset veritatem. Censeo ego, ipsum rursùs Magistratum vel Regem putâsse, quòd iis non sit obnitendum, quia notum est, antiquis Solem notâsse imperii majestatem.

Landesbibliothek Oldenburg

non de omnibus Essenis in genere intelligendus; in hoc enim puncto ipsi inter se studiis partium dissident. Quidam itaque prioris sententiæ sunt, quidam nuptias contrahunt propagationis amore. Nihilominùs tamen tantâ ipsi moderatione conveniunt, ut per triennium explorent valetudinem fœminarum, &, si constanti purgatione partui idoneæ apparuerint, ita eas in matrimonium adsciscunt. Nemo autem cum prægnante concumbit, ut ostendant, quòd nuptias non voluptatis, sed liberorum causâ inierint. Ultimus autem hujus Sectæ ordo propagatione liberorum hæresin suam proseminat; primus ordo eam ab interitu tuetur adoptione liberorũ alienorũ, quos tanquam cognatos juxta suæ disciplinæ regulas moderantur; uti testatur *Josephus*. Addit *Plinius lib. 5. hist. cap. 17.* multos alios Judæos, (9) in senium vergentes, ultrò se ipsis applicuisse, qui moti fuerint ad hoc, vel mutabili tristique rerum facie, vel memoriâ prioris curriculi vitæ, utpote cui totas habenas laxavissent; quasi hoc medio se ipsos pœnitentiâ quâdam vellent castigare.

XIX.

(9) Audiamus ipsum *Plinium*, quid loc. cit. de gente Essenorum prodat: *Ab occidente*, ait, *litora Esseni fugitant, usque quà nocent; gens sola, & in toto orbe præter cæteras mira, sine ulla fœmina, omni venere abdicatâ, sine pecunia, socia palmarum. In diem ex æquo convenarum turba renascitur; largè frequentantibus, quos vitâ fessos ad mores eorum fortunæ fluctus agitat. Ita per seculorum millia (incredibile dictu) gens æterna est, in qua nemo nascitur. Tam fœcunda illis aliorum vitæ pœnitentia est.* Quæ in his Plinii verbis falsa sunt, juxta Authorem nostrum castigari corigique possunt.

Landesbibliothek Oldenburg

XIX. Quando & à quo hæc Secta exclusa sit, difficile est (10) dicere; quidam eos ætate *Rechabitiis* æquales faciunt. *Scal. Trihær. lib. 3. c. 9.* Statuuntque RECHABITAS tantùm additis quibusdam peculiaribus regulis & constitutionibus distinctos fuisse à *Kenitis Jud. 1. 16.* Atque ita per consequens *Essenorum* origo & ætas adscendet ad migrationem Israëlitarum ex Ægypto; *Jethro* enim socer Mosis, ut patet ex textu, *Kenita* fuit; sed neutrum horum verisimile est: nam *I. Kenitæ* non dicuntur in S. Script. fuisse ordo peculiaris sive secta, sed tantùm distincta familia, genus, natio. *Num.* XXIV. 21. *II. Rechabitæ* non exstruxerunt ædes, sed habitârunt sub tentoriis; neque terram agriculturâ exercentes, neque serentes, neque vineas colentes, neque

(10) Quidam putant, hanc Sectam temporibus *Maccabæorum* ortam fuisse, cùm multi sese spelæis & cavis petrarum antris illatebrarent, hostis metu; quorum illi, quos serenior lætiorque rerum Judaïcarum facies squalidis istis latibulis elicuit, sedibusque pristinis reddidit, *Pharisæi* appellati, illi autem, qui, contemptis urbibus, speluncis suis adhæserunt, silvarumque & montium latebras amârunt, *Essæi* sive μονάζοντες dicti sint. Quæ sententia sanè plausibilis satis est; & hoc respectu tutò *Essenorum* etymologiam derivare possemus à חסה *confugit, recepit sese. Schalscheleth Haccabbala fol.* 104. legitur: *brevi post tempora Antigoni Sochæi congregatos* 4000 *Pharisæos, qui, relictis uxoribus, liberis, domo, bonis, singularem vitæ sanctitatem sectati fuerint, eosque, quòd ab aliis hoc modo sese separârunt, Græcè* ὁσίους *vocatos esse.* Hi in *Sanh. fol.* 90. vocantur משלים *regnantes*, quòd scil. se-ipsos sine magistratu gubernarent.

possidentes. *Jer.* XXXV. 7. Esseni autem non in tentoriis, sed ædibus mansitarunt, seduloque humum coluerunt. *Joseph. Antiq. l.* 18. *c.* 2.

XX. Aliquis ex Hebræorum Magistris ait; quòd *Esseni* fuerint *Naziræi. Scalig. Trihær. c.* 23. Sed hoc refellit Lex Naziræorum, jubens, ut, ubi dies Naziræatûs ipsorum completi fuerint, comparerent ad portam tentorii templi. *Num.* VI. 13. Sed aditus templi Essenis, ut dictum est, non patebat.

XXI. Quamobrem (†) incertum est, quando & quo autore hæc hæresis eruperit; Primus, quem inve-

(†) Rectè ait Autor, *incertum esse, quando & quo Autore hæc hæresis* (seu singularis vitæ & doctrinæ ratio, nam & hoc sensu hæreseos vocabulum sumitur) *eruperit.* Quùm enim *Esseni* sine controversia fuerint omnium Judæorum sanctissimi, teste vel Autore nostro, §. XXII. deplorantes deperditos reliquorum mores, & sese avertentes à communi gentis lue & pernicie, Deus autem omni tempore in scenam producat, qui corruptos seculi mores & cultus notent ac fugiant, operam perdiderimus, ubi in autores primos inquisiverimus, nisi ad primam Mundi ætatem velimus excurrere. Aliud autem est, si isti Virtutis cælique candidati in sectam abeunt, h. e. regulas peculiares, constitutiones & confessiones condunt, quibus se ab aliis heterodoxis, etiamsi piis & probis, distinguant. Tunc ortum istius Sectæ facilius erit invenisse. Ut autem perspicuè pateat, istos *Essenos* sui ævi fuisse sanctissimos, audiamus, quæ *Eusebius lib.* 8. *præpar. Evang.* ex *Philone* de iis refert: *Palæstinam*, ait, *maxima gens Judæorum habitat, inter quos, qui Essæi dicuntur, plures numero comperiuntur, ut opinor, quàm* 4000 *Essæi dicti, quasi Sancti Græcè, quoniam Dei cultores præcipuè sunt, non animalia sacrificantes, sed animum suum, virtute*

invenio insignitum nomine *Esseno*, fuit Judas, qui vixit tempore Aristobuli, Johannis Hircani filii, annis circiter centum ante incarnationem Salvatoris nostri. *Joseph. lib.* 13. *c.* 15. Ut ut sit, hæc Secta vetustissima fuit, nam tres Sectæ *Sadducæorum*, *Pharisæorum*, ac *Essenorum* jam tempore Jonadabi, qui fuit frater Judæ Maccabæi, adeoque quinquaginta annis ante Aristobulum, viguerunt. *Joseph. lib.* 13. *c.* 9.

XXII. Exploratum quoque est, hanc Sectam prorepsisse ad dies Salvatoris nostri, & ulteriùs; nam *Philo* & *Josephus* de ipsis loquuntur, ut eo tempore adhuc superstitibus. Quæ ergo ratio est, quòd in N. T. eorum nulla injiciatur mentio? Resp. 1. Numerus illorum *Philonis* & *Josephi* ætate

virtute munitum, offerendumque Deo putantes. Nemo inter eos puer, nemo adolescens, propter inconstantiam ætatis, sed viri omnes ant senes sunt. In civitatibus non habitant, existimantes, ut contagionem aëris corporibus, sic conversationem vulgi animo nocere. Horum alii agros colunt, alii pacificas artes ad usum suum & proximorum exercent, nec aurum nec argentum reponunt, nec ingentia prædia laudant, sed tantum agros colunt, quantum necessitati sufficit. Illi enim ex omnibus penè hominibus soli pecuniam & fundos negligentes, virtute ditissimi putantur, facilitatem vivendi, & paucorum indigentiam, rectè magnas esse divitias judicantes. Nemo eorum tela, enses, galeas, scuta, cæteraque belli instrumenta factitat, sed nec eas artes exercent, quibus facilè omnes in improbitatem labuntur, — omnem rapinæ occasionem vitant. Nemo servus apud eos — alter alteri serviunt. — Divinas Leges neminem absque divino auxilio intelligere dicunt. — Triplici vitæ regulâ utuntur, nim. Amore Dei ardentissimo, virtutis cultu diligentissimo, charitate proximi ferventissimâ, vid. Polyd. Virg. Lib. VII. Cap. I.

videtur fuisse exiguus, circiter quatuor millia; *Philo lib. quod omnis probus &c. p. 678.* Et quùm per multas urbes sparsi essent, Sectam distractam minuebant; tempore autem nostri Redemptoris Hierosolymis forsan vel nulli fuêre, vel perpauci. 2. Si historias consulimus, invenientur illi nobis pacifici, moderati, nullique molesti, nec adeo lites conserentes, uti *Pharisæi* & *Sadducæi*, qui, invicem licet opinionũ studiis distracti, Christum tamen unanimi consensu adoriuntur. 3. Cur illi non æquè taceantur in N. T. præsertim cùm nullos motus obloquendo, vel aliis in rebus excitârint, ac *Rechabitæ in* Vet. Test. quorum semel tantùm fit mentio, & quidem tum, cùm jam ipsorum ordo stetisset per 300 (11) annos, scil. ante testimonium Jeremiæ de ipsis; nam inter Jehu, qui tempore Jonadabi vixit, & Zedekiam Chronologi totidem annos numerant?

XXIII. Tandem, etsi nomen Essenorum in Scriptura non occurat, in Epistolis tamen Pauli multa legas reprehensa, quæ Esseni in suis Scholis docebant. *Chemnit. Ex. Conc. Trid. part. 4. p. 120.* Ejus naturæ fuit istud consilium, quod Timotheo datur: *Ne ampliùs potato aquam, sed utere paululo*

(11) Inter nullos ferè tanta est dissensio, quanta inter Chronologos. Alii non 300 annos inter Jehu & Zedekiam numerant, sed 295. qui tamen numerus per rotunditatem eòdem recidit. Ex Chronologia Cel. *Coccei non plures* quam 274. annos, mensem 1. dies 10. eruo, ni festinatio oculis quosdam annos & Reges subtraxerit. In ejusmodi Chronologiis V. T. deducendis felix est libellus, qui titulum fert; Gouden Keten der hemelschen Schatten.

Landesbibliothek Oldenburg

lulo vini. 1. *Tim.* V. 23. Rursùs, 1. *Tim.* IV. 3. *Prohibere connubia & cibos, est doctrina* δαιμονίων *diabolorum.* Præsertim *Col.* II. multa loca videtur Apostolus ipsorum dogmatibus opposuisse; *ne quis vos judicet in cibo & potione;* (12) *vs.* 18. *nullus* ὑμᾶς καταβραβεύετω *vobis dominetur, volens, in humilitate, & cultu Angelorum;* τί δογματίζεσθε, *quid dogmatibus*

(12) Jam superiùs diximus, Essenos facilè Monachis comparari posse, sic hic Apostolus Ecclesiam præmunit, ne annuat illorum dogmatibus & ἐθελοθρησκείᾳ, qui Essenorum vestigia sint lecturi, h. e. Pontificiorum, qui Angelos colunt, iisque δουλεύσι, cibos vetant, uxoresque. Verum est, in V. T. Israëlitas quadantenùs fuisse Angelis subjectos, dum subjecti fuerunt sermoni per Angelos dato *Act.* VII. 53. Futurum verò seculum, h. e. N. T. non subjectum est Angelis, neque aliis Diis & castigatoribus. *Hebr.* II. 5. Deinde fuit etiam in V. T. discrimen βρωμάτων καὶ πομάτων *ciborum & potionum;* quod discrimen notabat, omnes creaturas, quæ sunt κτίσματα καλά, 1. *Tim.* IV. 4. esse homini impuras, vel hominem iis indignum esse propter peccata. Sic ut peccator alienus à Deo & Christo, utens creaturis, abutatur iis, easque Deo suffurari dici possit; & quòd illud sacrificium nondum oblatum sit, cujus immensâ dignitate mundarentur Israëlitæ à reatu, quem Deus ipsis per talia chirographa exprobrare possit; usquedum Christus suo merito nos in pristinum Adami statum & jus restituerit, ubi οὐδὲν κοινὸν *nihil impurum*, & ubi omnibus cibis cum gratiarum actione vesci liceat. 1. *Tim.* IV. 3. Itaque nunc ampliùs in cibis & potionibus judicari non debemus, quum omnia redemtis Christus purificaverit. Quod attinet matrimonium, in eo Pontificii infensiores naturæ sunt Essenis, quorum plurimi ultrò abstinuêre conjugio, nullo interdicto adacti. Et quidem Esseni illi, qui abstinuerunt conjugio, contrarii fuerunt cæteris Judæis, qui felicitatem esse reputârunt, multam videre prolem in terrâ Canaan, multos numerâsse nepotes.

Landesbibliothek Oldenburg

gravamini? vſ. 20. Apoſtolus utitur voce δόγματα, quæ Eſſenorum hypotheſes (13) & conſtitutiones notat. Sequenti verſu 21. tangit quaſdam res peculiares; *ne* (14) *attingas*, *neque contrectes*; jam

(13) Vocem hanc Apoſtolus adhibet ſæpius. *Eph.* II. 15. *Col.* II. 14. &c. Luth. Satzungen. Belg. Inſettingen. Angl. *Ordinances.* Hæc dogmata Apoſtolus opponit legi, quæ cordi inſcripta eſt; ſuntque placita, quæ pendent ex alicujus arbitratu & voluntate. Alibi Apoſtolus ea δόγματα appellat δικαιώματα σαρκός *ſtatuta carnalia Hebr.* IX. 10. item ἐντολὴν σαρκικὴν *præceptum carnale. Heb.* VII. 16. Item ἀσθενῆ καὶ πτωχὰ στοιχεῖα *infirma & egena elementa Gal.* IV. 9. quibus Iſraëlitæ, tanquam pueri primis elementis, occupati erant: et quæ ſauciatam conſcientiam, qualis eſt omnium à natura hominum, ſanare non valent. Talia δόγματα erant leges ceremoniales, quæ in V. T. vocabantur חקים *definitiones*, *ſtatuta*, *placita*, quæ dicuntur *non bona Ezech.* XX. 25. *& judicia*, *in quibus non vivitur*; vocantur autem non bona, & in quibus non vivitur. 1. Quia opponuntur legibus, quas qui ſervat, vivit, h. e. moralibus. 2. Quia ei, qui talia ſtatuta etiam incautè transgreſſus erat, mors metuenda fuit. 3. Quia etiamſi quis ea ſtatuta ſervaverit, per ea tamen ſalvatus non eſt, nec vitam æternam conſecutus. Talibus δόγμασι *placitis* à nemine nos onerari pati debemus, quia Chriſtus nos liberavit intolerabili iſto jugo.

(14) Doctè *Cel. Cocc.* negat hîc de uno tactu Apoſtolum agere, quod quidam putant, qui tria hæc verba *Col.* II. 21. ad cibos adſtringunt. Dictum eſt ſuperiùs Monachos & in eo eſſe ſimiles Eſſenis, quòd conjugium carperent, cibos diſcernerent, & voluntariam paupertatem profiterentur, idque plerumque ſine fide in Deum, & ſine odio & renuntiatione mundi. His ergo tribus verbis Apoſtolus Pontificiorum δογματιζόντων placita proponit, quòd poſitâ lege dicturi eſſent μὴ ἅψῃ *ne tangas*, ſcil. mulierem, Vid.

jam autem diximus, quòd Senioribus religio fuerit contrectare Juniores; & in sua diæta palatum solo pane, sale, aquâ & hyssopo placabant; quam victûs rationem observârunt, ut Philo ait, δι' ἔρωτα σοφίας *ex amore sapientiæ*; Apostol' verò concludit, vers. 23. quòd talia habeant λόγον σοφίας *prætextum sapientiæ*. Et ubi Philo *Essenorum* religionem vocat θεραπείαν, h. e. *cultum divinum*, Apostolus eodem vs. vocat ἐθελοθρησκείαν *cultum voluntarium*; ubi autem ille doctrinam ipsorum nominat φιλοσοφίαν πάτρων *philosophiam à patribus haustam*, traditionibusque acceptam, hic ab ea deterret vs. 8.

XXIV. Antea notavimus duas *Essenorum* species; quorum quidam sunt *Practici*, quidam *Theoretici*: utrique in constitutionibus suis atque regulis & canonibus conveniunt, discrepant verò in quibusdam circumstantiis. 1. *Practici* incoluerunt urbes, quas vitantes *Theoretici*, villarum ac pagorum solitudines quæsiverunt. 2. *Practici* vitam defendunt opificiis, ovium, apum, agrorumque curâ &c. Suntque τεχνῖται *artifices*. *Theoretici* consenescunt meditando, precandoque, unde κατ' ἐξοχὴν ipsi à Philone vocantur ἱκέται *supplicantes*. 3. *Practicis* quotidie prandium & cœna

Vid. 1. *Cor.* VII. 1. μηδὲ γεύσῃ *neque gustes*: μηδὲ θίγῃς *neque tractes*, scil. bona tua, ut tua, sed omitte ea, & aliis concede. Quæ Autor addit de ratione sapientiæ, illa concinnè congruunt Pontificiis, qui sapientiam persuadent esse homunculis, talia facere, & ἐθελοθρησκείᾳ Deo servire, ultròque oblata sacrificia Deo gratiora esse imperatis. Quæ sanè, quando audiuntur, λόγον σοφίας habere videntur.

Landesbibliothek Oldenburg

indulgebatur, *Theoreticis* sola cœna. *Practicorum* quisque ex singulari scutella jus sorbet ac pane vescitur; *Theoretici* famem pellunt solo pane & sale. Si cujus palatum verò delicatius fuit quàm alîus, concessum ipsi est comedere hyssopum. Utrorumque verò sitim restinxit aqua vulgaris.

XXV. Quidam arbitrantur hos *Theoreticos* fuisse Monachos (15) Christianos, sed contrarium dictitant hæ rationes. 1. Toto illo Philonis libro de his *Theoreticis* nulla mentio vel Christi, vel Christianorum, vel Evangelistarum, vel Apostolorum fit. 2. *Theoreticorum* Secta eodem libro non nova & haud pridem inchoata dicitur, quemadmodũ Christiani tum temporis primò orti erant, ut patet ex verbis Philonis, A. quando eorum doctrinam appellat πάτρων φιλοσοφίαν *à patribus acceptam Philosophiam.* B. Quando inquit: *habent priscorum commentarios, qui hujus Sectæ autores &c.* 3. Inscriptio libri non tantùm est περὶ βίου θεωρητικοῦ *de vita*

(15) *Esseni* antiqui quidem non fuerunt Monachi Christiani, at utinam Monachi hodierni forent *Esseni* antiqui! Ipsi Anabaptistæ in quibusdam pietatis verioris partibus cum *Essenis* concordant, *confer.* §. XXII. Sed Papales Monachi in pluribus exterioribus. *Ex. Gr.* 1. *Esseni* non amabant conjugia; sic Monachi despicata ea habent. 2. Illi non utebantur pecuniâ, victitantes Bonorum communione; hi quoque. 3. Illis erant sua collegia ac fraternitates; his similiter. 4. Diversis & singularibus, h. e. insolentibus, induebantur vestibus illi; hi quoque. 5. Certos singularesque usurpabant cibos, vitæ canones, preces, exercitia, tentationes, initiationes, excommunicationes, & plura alia, in quibus omnibus Monachi nihilum ab *Essenis* discrepant. *Burm. Hist. Eccl. cap.* 18.

Landesbibliothek Oldenburg

vita contemplativa, sed & περὶ ἱκετῶν *de supplicantibus*; quum autem Philo totam Judæorum gentem vocitet τὸ ἱκετικὸν γένος *nationem supplicabundam*; in aprico est, *Essenos* illos non è Christianæ, sed Judaicæ gentis sinu prodiisse.

CAP. XIII.

De Gaulonitis & Herodianis.

I. ALiæ præterea *factiones* sciderunt rem Judæorum, quæ impropriè *Sectæ* vocantur. Harum præprimis duæ fuerunt. 1. *GAULONITÆ.* 2. *HERODIANI.*

II. *Gaulonitis* nomen dedit aliquis *Judas*, qui subinde nominatur *Judas Gaulonites*, *Joseph. antiq. l.* 18. *c.* 1. subinde etiam *Judas Galilæus*, de quo loquitur Gamaliel *Act.* V. 37. *Postea surrexit Judas Galilæus in diebus descriptionis. Joseph. ibid. cap.* 2.

III. Hæc descriptio ea fuit, quæ facta est per *Cyrenium*, aliàs *Quirinum*; (1) quod nomen uno modo in Græco habuit, at diversimodè apud Interpretes lectum. Hic Cyrenius, ab Augusto in Syriam Româ missus, in Judæam venit, quam Coponius Præses moderabatur; ubi istam descripti-

(1) In Latino catalogo Rom. Coss. vocatur *Publius Sulpicius Quirinus*, vir Consularis, eo tempore ab Augusto in Syriam ablegatus, cùm Judæi Archelai crudelitatem multis querelis onerâssent apud Augustum. Plerumque enim Consules, sequenti post Consulatum in urbe gestum anno, provincias administrandas obtinuerunt, dictique sunt *Pro-Consules*.

Landesbibliothek Oldenburg

ptionem inîit, quam quidam incautè cum ea, cujus Lucas meminit c. II. 1. confundunt. (2) Utraque hæc descriptio imperata sub Augusto, differunt tamen; nam 1. Ea descriptio *Act.* V. solum Syriam & Judæam censuit; Hæc *Luc.* II. πᾶσαν τὴν οἰκουμένην *totum orbem habitabilem.* 2. Ea descriptio fuit facta, Archelao Herodis filio Viennam in exilium relegato, cùm novennale Imperium gessisset; Hæc publicata sub Herode Magno; Quam sententiam stabiliunt verba Lucæ, qui hanc descriptionem vocat πρώτην (3) *primam* vel *priorem*, resp. *secundæ* illius.

IV.

(2) Benè hîc Autor distinguit inter illas descriptiones *Luc.* II. & *Act.* V. Nam, ut rectè notat, descriptio *Luc.* II. πᾶσαν τὴν οἰκουμένην Imperium Romanum concernit; quâ non fuit exactum tributum, sed notatæ tantum personæ, earumque facultates; ut Augustus in promptu nôsset reditus, vires, copias. Vid. de hac descriptione *Dionys. Halic. lib.* 4. *cap.* 19. Hanc descriptionem in Judæa tum temporis sine dubio peregit *Quintilius Varus*, qui postmodum cum tribus legionibus, legatisque & auxiliis omnibus à Germanis cæsus est. *Sueton. in Oct. Aug. & Flor. lib.* 4. *cap.* 12. Is enim Varus postremis Herodis Magni annis Judææ præfuit. Alteram verò ἀπογραφὴν, de qua *Act.* V. 37. fecit in Syria & Judæa *Cyrenius*, in eas regiones missus, ut iis præesset & Archelai κτήματα *facultates* venderet, Judæamque Syriæ contribueret. Quâ contributione impleta est prophetia *Esa.* VII. 8. scil. Christum venturum, quando adhuc Damascus esset caput Syriæ, & non Judææ; quando autem Judæa Syriæ addita est, Damascus caput fiebat Judææ, Christusque jam venerat; scil. sub descriptione οἰκουμενικῇ.

(3) Autor noster negavit quidem & rectè ἀπογραφὰς *Luc.* II. & *Act.* V. easdem esse; videtur tamen in ea senten-

tia

IV. Causa hujus factionis ita se habuit: Cyrenio hunc censum colligente, opesque Archelaï arripiente, surrexit hic Judas, recusatâque descriptione, populo dixit, descriptionem istam esse apertum servitutis signum, & quòd neminem deberent dicere Dominum, nisi eum, qui esset Dominorum Dominus, cœli Deus atque terræ. *Vid. Joseph. loc. cit.* Qui ergo ipsius partibus studuerunt, nuncupati sunt *Gaulonitæ*, & etiam *Galilæi.*

V. Horum sanguis fuit, quem sacrificiis ipsorum miscuit Pilatus *Luc.* XIII. 1. qui aliàs nationi Galilæorum non præerat, aut imperitare poterat. Ratio hujus commixtionis esse putatur, quòd Galilæi vetarent victimas cædi pro salute Romani Imperii, aut Cæsaris; quâ re ad iram impulsus Pilatus ipsos victimas parantes victimas fecit. *Oecumen. Art. 5. 37. Theophyl. in* Luc. XIII. 1. *Joseph. lib.*

tia esse, quòd *Cyrenio* Præside utraque descriptio facta sit; aut saltem quòd *Cyrenius* coadjutor fuerit *Coponii* vel *Quintilii Vari*, quia exstat *Luc.* II. 2. Αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου; ubi videtur *Cyrenius* duas descriptiones fecisse, illam πρώτην *primam* cum *Varo*, tempore Christi; δευτέραν *secundam*, *Archelao* relegato, solus. Sed jam antea firmatum est, *Cyrenium* demùm venisse in Judæam post novem & ultra regni *Archelaï*, & totidem à nativitate Christi annos. Restat ergo, ut πρώτη apud Lucam per comparativum gradum πρότερα exponatur, sicut istiusmodi locutio crebra est in S. Script. Videatur saltem locus *Joh.* XV. 18. πρῶτον ὑμῶν pro πρότερον ὑμῶν; item *Joh.* I. 15. Jam ἡγεμονεύοντος Κυρηνίου non est Genitivus possessionis, sed comparationis, Græcis usitatus, quem Latini vel per Ablativum, vel per *quàm*, exprimunt: q. d. *Hæc descriptio prior fuit, quàm præsideret Syriæ Cyrenius.*

Landesbibliothek Oldenburg

lib. 7. de B. J. cap. 28. p. 985. Hujus factionis consortes fuêre illi latrones, σικάριοι, quorum meminit Lucas *Act.* XXI. 38.

XI. Quod ad *Herodianos.* Illi, qui *Herodianos* Hæreticis accensent, hæresin eorum in duobus consistere dicunt. 1. Quòd *Herodem Magnum* haberent pro Messia (4) promisso, quia ipsius ut

(4) Judæi quum observarent tempus Messiæ adesse, elapsis omnibus adventûs illius signis, quæ Moses enumerat *Deut.* XXX. 1-10. & numero sex sunt. 1. Quòd subjugârint omnes Cananæos, & multiplici Dei gratiâ in Palæstina fruiti sint. 2. Quòd etiam maledictionem non evitârint, sed, deportatis Tribubus, dulcem patriam tempore Zedekiæ relinquere coacti, anteaque etiam sæpè ab hostibus oppressi sint. 3. Quòd egerint μετάνοιαν *resipiscentiam* in Babylonia. 4. Quòd Deus ipsos recollegerit miseratus. 5. Quòd collecto Israëli Deus multis modis benefecerit, redditis templo, urbe, libertate. 6. Quòd Deus ipsos multiplicaverit præ patribus, partim auctione seminis, dum Judæi in immensam multitudinem creverunt; quod claret ex historia Josephi de obsidione Hierosolymorum, & ex illis *Clementiani* versibus:

Atque utinam nunquam Judæa subacta fuisset
Pompeji bellis, Imperioque Titi.
Latiùs excisæ gentis contagia serpunt,
Victoresque suos natio victa premit;

partim suppressione vicinorum populorum, præprimis Edomitarum, quos Judæis subegit Johannes Hyrcanus Simonis filius, & circumcidere se jussit: quòdque Deus ipsos plenâ manu omniumque rerum & bonorum ubertate saturârit, adeo ut tunc Messias, si mundum salutaret, *mel & butyrum comedere* dici posset. Hæc signa, inquam, quum Judæi cernerent elapsa, facilè quemvis potentem ex sua religione pro Messia recipiebant, qui ipsos in libertate conservaret, Dominosque gentium redderet; quâ senten-

Landesbibliothek Oldenburg

ut ἀπόφυλα imperio cesserat Sceptrum Judæ; quale sceptri ablati tempus adventum Messiæ indicare debebat. 2. Ipsius natalem diem superstitiosis sacris & festivitatibus quotannis restaurarent. De cujus natalitio die Poëta *Persius Sat.* 5. ita canit:

——— Cùm
Herodis venêre dies, unctâque fenestrâ
Dispositæ pinguem nebulam vomuêre lucernæ,
Portantes violas; rubrumque amplexa catinum
Cauda natat Thynni; tumet alba fidelia vino.

Num hîc sermo sit de *Herode Magno*, dubito; quoniam ne ullum quidem ex Antiquis novi, qui meminerit natalis diei *Herodis Magni*; alius fuit *Herodes*, scil. *Antipas*, τετράρχης Galilææ, (5) cujus legimus natalem celebratum *Marc.* VI. 21.

VII.

sententiâ sibi-ipsis imposuêre, putantes Messiam fore Regem terrenum. Unde tam acerrimè ausi sunt cum Romanis & Tito confligere, scientes impossibile esse, se cum templo illo perituros, antequam venerit Messias; unde etiam tot Pseudo-Messiæ hærentes fluctuantesque Judæos ad extremum vitæ fortunæque agonem sæpè perduxerunt. Videatur *Mornæus de verit. Relig. Christ. cap.* 29. Jam non mirum fuisset, si ditiores Rabbini, quosque amor terreni regni in transversum rapuit, Herodem opibus viribusque munitum Messiam salutâssent. Hoc ideo pono, non quòd hujus sim sententiæ, *Herodianos* habuisse Herodem pro Messia, sed ut ostendam, quàm facillimè viri docti in eam opinionem trahi potuerint: plausibilior enim est sententia Autoris statuentis, *Herodianos* fuisse aulicos, cum Herode Rege pro injuncto Cæsaris tributo stantes.

(5) Uti nec de *Herode patre* hîc sermo videtur esse, ita nec de Antipa filio. Sed de *Aristobuli* filio, *Herode Agrippa*, Herodis Magni nepote. 1. Quia credibile est, Judæos in ipsius

VII. Prius, quòd *Herodiani* Herodem pro Messia habuerint, licèt id multorum Autorum gravitate nitatur, *scil. Epiph. hær.* 10. *Theophyl. in Matth.* XXII. 16. *&c.* alii non sine ratione eludunt. *Hieron. in Matth.* XXII. 17. Si enim *Herodiani* fuissent Judæi, quod plurimi eunt affirmatum, quomodo sibi potuissent persuadere, Herodem ἀλλόφυλον *alienigenam*, esse Messiam; quum constaret ex Prophetis, Messiam futurum esse *Judæum*, ex tribu *Juda*, & familia *Davidis*?

VIII. Aliis placet, *Herodianos* fuisse certos gnathones in aulâ Herodis, in gratiam Regis multas Religionis patriæ partes deserentes. *Beza in Matth.* XXII. 17. (†) IX.

ipsius honorem & gratiam, ut quem impensè amabant ob duas causas; quòd esset A. persecutor Apostolorum. *Act.* XII. 1. 2. 3. B. Religiosus cultor legis patriæ, dum amolitus est lenibus dictis apud Caligulam, ne Judæis obtruderetur Caligula ut Deus, vel colossus Jovis in templo adorandus; ob hæc, inquam, credibile est, Judæos ipsius natalem tanquam faustum diem feriatos esse, præeunte exemplo patris. *Marc.* VI. 21. *Matth.* XIV. 6. *Gen.* XL. 20. 2. Quia Persius ipsius tempore vixit, & sine dubio ipsum vidit apud Cajum in deliciis esse, adeo ut omnes ritus ac solennia Judæorum & Agrippæ facilè nôsset. Siquidem Persius natus anno vigesimo primo imperii Tiberii, suâ vitâ & Caji & Claudii tempora vicit, Romæque studiorum gratiâ vixit, cùm Agrippa ibidem vinculis solutus, amore Caligulæ frueretur.

(†) Quicquid fuerit cum istis Antiquis *Herodianis*, Hodierni quinam sint, res ipsa loquitur; nimirum, tùm qui Regibus Principibusque palpum obtrudunt, Divina sæpe privilegia, cultum, & in conscientias potestatem, tribuentes; tum qui subditos omnibus emungi consulunt & ad motus eo modo concitant, populo æque ac Christo adversi.

Landesbibliothek Oldenburg

IX. Ut prætereamus multas alias opinionum nugas, ambabus ulnis amplector sententiam *Hieronymi in Matth.* XXII. 17. statuentis, *Herodianos* eos fuisse, qui *dimicabant pro censu Cæsari dependendo.* Herodis enim fuit, Cæsaris descriptionem urgere, ut cui coronam debebat, non tam ratione gratitudinis, quàm prudentiæ politicæ, ne is, qui coronam indulserat, quique rursùs auferre poterat, regio ipsum solio excuteret. Quo respectu, cùm Herodes quæreret Christum neci dare, & *Herodiani* cum Pharisæis fallaci verborum nexu intricare vellent, consiliumque contra eum inirent, dixit Salvator noster *Marc.* VIII. 15. Βλέπετε ἀπὸ τῆς ζύμης *cavete à fermento Pharisæorum & Herodis*, h. e. funestâ doctrinæ lue, vulpinâque fraude.

utriusque miraculi concursus docuit, adesse finem *ceremoniarum Judaïcarum*, & *Gentium idololatriæ*, eorumque casu stabilitum iri filii Dei regnum.

CAP. II.

De Synagogis, Scholis, & προσευχαῖς.

I. VOcabulum, *Synagoga*, Græcum est, venitque à *συνάγω colligo*; sic ut quibusvis rebus colligendis adhibeatur; ut *συναγωγὴ γάλακτος copia lactis*, *συναγωγὴ πολέμου*, *collectio eorum, quæ sunt ad bellum necessaria.* *Deus stat* בַּעֲדַת־אֵל *ἐν συναγωγῇ in cœtu Dei Ps.* LXXXII. 1. Veruntamen *Synagogæ* plerumque sumuntur pro ædibus Divino cultui sacris, in quibus fas fuit precari, concionari, disputare, non autem sacrificare. Hebræis dicitur *συναγωγὴ* בֵּית הַכְּנֶסֶת *domus congregationis.*

itaque rei idem fortiter instaret Alypius, juvaretque provinciæ Rector, metuendi globi flammarum prope fundamenta crebris assultibus erumpentes, fecêre locum, exustis aliquoties operantibus, inaccessum; Hocque modo elemento destinatiùs repellente, cessavit inceptum. Quæ templi sepultura docet, jam venisse tempus, quo Deus sit invocandus *in omni loco. Mal.* I. 11. *Joh.* IV. 21. 1. *Tim.* II. 8. quo *frater fratrem sit invitaturus sub vitem & ficum*, h. e. parietes privatos, ad discendum erudiendumque, quum omnes docti futuri sint à Spiritu S. *Matth.* XVIII. 20. *Zach.* III. 10. quum cultus non magis sit restrictus ad Hierosolymam terrestrem & montem Tzionem *Deut.* XII. 5. 6. *Exod.* XX. 24. quàm ad ullam aliam urbem vel domum.

Landesbibliothek Oldenburg